
SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

DE

# ABUNDANTI DICENDI GENERE TACITINO.

---

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXIII. M. MAII A. MDCCCLXXXII

IN PUBLICO DEFENDET

SCRIPTOR

**IOANNES GERICKE**

BEROLINENSIS.

---

ADVERSARIORUM MUNERE FUNGENTUR:

BERTHOLDUS FREIER, DR. PHIL.
FRIDERICUS SCHLEE, DR. PHIL.
AEMILIUS KRAETSCH, DR. PHIL.



BEROLINI

MDCCCLXXXII.

IOANNI VAHLENO

PRAECEPTORI CARISSIMO

SACRUM.

Uberioris cuiusdam aut abundantis sermonis exempla ex libris Taciti, quem summa elocutionis brevitate scriptoribus paene omnibus praestare constat, conquirere si quis suscipiat, facile litus videatur arare. Neque tamen diligenter attenteque legentem fugere poterunt haud pauci apud illum loci, ubi orationem invenimus pleniorem et uberiorem, sive synonymis quae vocantur iuxta positis sive voce altera aut per alteram aut per plenum enunciatum praeter necessitatem explicata sive etiam notione ab altera, idem fere significante, suspensa. Quodsi talia identidem apud Tacitum obvenire dico, nolim ita intellegi, quasi hoc dicendi genus aeque Tacitinum esse censeam atque brevitatem illam multifariam laudatam illustratamque; quod adeo non statuerim, ut talia, ab eius proprio sermone aliena, ex priorum scriptorum studio animo eius inhaesisse et invito ipso in scripta eius irrepsisse persuasum habeam. Nam uberioris sermonis exempla apud prosae orationis scriptores (ut de poetis taceam) sat multa inveniuntur neque ea paucissima apud Ciceronem et Sallustium, quorum scripta Tacitus ut par est noverat quorumque dictionem si non de industria imitatus at fortasse nolens hic illic secutus est.

Sed dixerit quis, iniuria me haec abundantis orationis exempla Tacitina dicere, quoniam similia illis apud alios eiusdem, qua ille floruit, aetatis scriptores occurrant; quod etsi concedendum est, (atque ipse data occasione verbis a Tacito abundanter positis, quoad eius fieri potuit, similia ex aequalibus eius adscripsi) tamen non ideo necessarium esse existimo, omnes omnium illius aetatis scriptorum abundantias hic conferre; (quod ne per spatium quidem huic opusculo

concessum mihi diceret) neque ita multum interesse arbitror, tales abundantiae Taciti unius propriae an aetatis eius communes habendae sint, modo id ostendatur, ne Tacitum quidem, scriptorem ob breviloquentiam famosum, ab omni abundantia abhorruisse.

Gravius autem iudico quaerere, aequabilemne scriptor usum per omnes libros servaverit an provectiore aetate etiam magis quam prioribus annis ubertatem orationis fugerit. Quod ut appareat, ubicumque per naturam aut numerum exemplorum fieri poterit, a dialogo[1]) orsus eodem quo in publicum prodierunt ordine scripta singula pertractabo.

Priusquam autem disputationem ingrediamur, considerandum est, quid tandem intellegendum sit uberius illud vel abundans dicendi genus, quoniam in diversa abierunt homines docti, quicumque Tacito operam navarunt. Atque ex prioribus quidem huius scriptoris interpretibus Ernesti identidem, ut refelleret, qui nimia severitate et constantia usi quidquid abundaret recidendum esse rati non tam observare volebant scriptoris mores quam ad suum arbitrium conformare, identidem, inquam, monuit, non constare sibi Tacitum in brevitate dicendi, ac nimis multa resecanda esse, si omnibus in locis brevem reddere vellemus orationem[2]).

Quam libertatem vel inconstantiam Boetticher[3]) Tacito aegre condonat; congestis enim locis, ubi voces similis

---

[1]) Nipperdeio assentiri non possum, eodem fere tempore atque Agricolam et Germaniam (sc. anno 98) dialogum quoque ortum esse; (quod ponit in editione Annalium, praef. p. IX.) cum aliae rationes, ex Taciti ipsius verbis repetitae, tum oratio huius libelli, a ceterorum multis partibus diversa, me impellunt, ut eum tamquam ab adolescente Tacito conceptum longiore temporis intervallo a posterioribus scriptis distare statuam. Quod autem omnino dialogum libri manuscripti auctoritate nisus Taciteum puto, rationem reddere hoc loco longum est.

[2]) cf. eius notas ad Ann. II 47. XVI 15.

[3]) Lexicon Taciteum, Berolini 1830. proll. p. LXXX sq.

notionis coniunguntur, non tam copiam quam brevitatem orationis ibi perspicit, quia verbis ita compositis maior vis tribuatur sententiae quam quae in vulgari verborum constructione vel in uno insit vocabulo.

Equidem secus iudico: neque enim addito simili vocabulo semper novum significari aut augeri et explicari alterum alterius significatione concesserim, ac si hoc statuendum esset, tamen brevitati dicendi talia adnumeranda non essent. Nam qui possumus brevem dicere orationem eam, in qua non tam paucissimis verbis exprimantur sententiae quam pluribus amplificentur?

Verum etiam longius progressus vir ille doctus ea quoque, quae pleonasmi dicantur exempla, haud ita a brevitatis ratione abhorrere censet, cum multa eorum eiusmodi sint comparata, ut alterum vocabulum alterius notioni aliquid addat. Sed perpauci (ne dicam nulli) inveniuntur loci, ubi non aliqua possit afferri causa, qua verborum copia defendatur, neque tamen idcirco eos tantum locos, ubi talis causa minus facile perspicitur, inter pleonasmos rettulerim.

Minus studiose Taciteae orationis brevitatem tuetur Draegerus[1]), sed iuxta positis synonymis abundantiorem fatetur effici orationem; exempla autem colligere omnia eius non intererat, paucis Taciti morem adumbrare satis habuit.

Halmius[2]) vero in quaestione, quam de pleonasmis in Germania conspicuis instituit, omnes contulit locos, ubi sententiam videmus amplificatam exornatamque, additis aut singulis verbis aut plenis enunciatis; sed eos non sic disposuit, ut varia eorum genera internosci possint.

Quare ut iam meum promam consilium, quoniam observasse mihi videor, Tacitum identidem aut omnibus aut aliquot rei alicuius partibus nominatis notionem partes illas complexam adiungere, hos locos primum in conspectu ponam;

---

[1]) Syntax und stil des Tacitus, Leipzig 1868. p. 89 ss.

[2]) Acta academiae Monacensis. 1864. p. 12 sq.

nam etsi negari non potest, hac arte eum magis perspicuum reddere id, quod descripturus est, tamen puto concedetur, ubertatem certe eam iure dici posse.

Neque alienum est ab eiusdem more, nominis alicuius sive substantivi sive adiectivi sive verbi significationem paullo generaliorem appositis vocabulis aut plenius illustrare aut artius restringere; ac ne ab integris quidem enunciatis hoc in genere abhorret.

Quos locos ubi seposuerimus, restabunt alii nec pauci, in quibus bina aut plura synonyma componuntur, neque primo obtutu intellegas, quid spectaverit scriptor, cum sic abundanter loqueretur, vel quid intercedat discriminis inter vocabula illa similia. Quare haec exempla a superioribus segreganda esse censui, ut quae iam paullo graviorem ostenderent abundantiam; quam reperiemus gravissimam ibi, ubi aperte praeter necessitatem neque raro etiam praeter exspectationem scriptor nomini alicui adicit vocem, qua notio illi inhaerens nullam partem certius definitur neque quidquam novi sententiae infertur. Nec desunt exempla, quae nobis vocem alteram ab altera illius simillima suspensam esse probent.

Haec igitur praefatus iam conferam locos ipsos, quibus, quae modo proposui, partim uberius illustrentur partim artioribus finibus circumscribantur.

# Caput I.

Primum igitur oculis subicere statui eos locos, ubi scriptor eandem significationem plus semel expressit, cum non tam pro ea quam praeter eam plures poneret voces, quarum quaeque ipsam illam significationem si non totam at pro sua parte continet; aut, si quis aliter interpretari velit hunc usum, plures dicat notiones, per *et* plerumque copulatas singulis seu pluribus vocibus, quarum vis illas complectitur neque raro etiam latius illis patet, insuper comprehendi. Quem morem Taciti proprium ut iudicem tantum abest, ut apud omnes fere scriptores maximeque apud oratores eum deprehendi posse arbitrer; neque omnibus, imo perpaucis in locis ita comparatis abundantiam orationis latere existimo, cum plerumque ea sit locorum conditio, id scriptoris consilium clarissime perspiciatur, ut vocis alicuius notio paullo generalior, cum id, quod maxime agitur, non satis distincte exprimat, etsi ad sententiam universam non superflua videtur, ea ex parte certius definiatur, in qua totius sententiae cardo versatur.

Hac ratione usus etsi non brevem, tamen non abundantem orationem Tacitinam habendam esse his in locis arbitror:

Agr. 13: *Britanni dilectum et tributa et iniuncta imperii munera impigre obeunt.*

Ann. XI 18: *stationes, vigiliae, diurna nocturnaque munia in armis agitabantur.*

H. II 76: *popinis et commissationibus et principis imitatione.*

H. II 80: *Caesarem et Augustum et omnia principatus vocabula cumulare.*

H. IV 74: *penes quos aurum et opes.*

H. IV 76: *pecuniam ac dona, quibus solis corrumpantur, maiora apud Romanos.*

A. XIII 16 *dolorem, caritatem, omnes affectus.*

A. XIII 46 *per blandimenta et artes*

A. XIV 1 *lacrimis et arte adulterae.*

Sufficiant haec exempla ad genus hoc adumbrandum; omnia promere et longum neque e proposito meo est, quo in abundantem iubeor inquirere orationem; qualem deprehendere mihi videor ibi, ubi generalis notio additur vocibus, quibus non tam aliqua ex parte illustratur quam omnibus numeris explicatur. Huc refero:

H. I 18: *foedum imbribus diem tonitrua et fulgura et caelestes minae . . turbaverant.*

Hoc loco si tantum extarent verba *caelestes minae,* quis est, quin ilico de tonitruis fulguribusque cogitet, atque quid praeter haec animo fingere quisquam potest, praesertim cum imbres, quas forte quis inter minas caelestes non sine iure rettulerit, brevi ante disertis verbis commemorentur? — Neque aliter res se habet A. XV 19 *adversus fraudem et artes et brevitatem adoptionis,* nam in ipsa adoptionis brevitate positae erant fraudes et artes illae.

Sed veritus, ne cui haec pusilla atque quaesita videantur, diutius in eis versari nolo, sed ad graviora conversus de more huius simillimo, qui multo saepius apud Tacitum deprehenditur, quaestionem instituam. Solet enim scriptor sive nomen aliquod sive verbum altero, plerumque per ‚et' particulam adiuncto aut certius definire aut ita restringere, ut notiones singulis locis propriae non tam in priore quam in posteriore voce lateant: nam fere omnia huius generis exempla ea sunt, in quibus praecedat notio ut ita dicam generalior, subsequatur specialis. Quae Taciti consuetudo in docta et copiosa Spittae dissertatione [1]) satis diligenter explicata et uberius illustrata est, neque ipse iure hanc quaestionem denuo susciperem, nisi cum de quibusdam locis paullo aliter censerem, tum de toto hoc dicendi genere non plane idem atque ille sentirem. Concedo enim (quod ille

[1]) Spitta: de Taciti in componendis enunciatis ratione. Gottingae 1866.

ponit l. l. p. 13.) ad sententiam quandam vel notionem per ,et' adiungi ea, quae consequantur vel tam arcte cohaereant, ut simul semper incidant necesse sit; assentior ei, cum (p. 20 sq.) primam sententiam dicit esse generaliorem, in altera maiorem vim positam esse: sed quaerendum esse censeo singulis in locis, num brevitatem eam iure intellegamus, vel utrum necessarium sit utrumque verbum an additum sit alterutrum ad efficiendam augendamve orationis elegantiam. Atque Spitta quidem disertis verbis persuasum sibi esse dicit, (p. 115.) ,*in una quaque lingua ne ullum quidem verbum frustra et superflue esse conformatum, sed suam quodque retinere vim propriam ac peculiarem;*' itaque accurate perpensis distinctisque verborum significationibus id agendum esse, ut notatis eorum vel minutissimis varietatibus suam cuique significationem servatam esse ostendatur. Quibus argutiis equidem minus delectatus Tacitum, quippe qui ineunte adolescentia foro et eloquentiae studuerit, non aversatum orationis elegantiam interdum omissa brevitate ornate quam praecise loqui maluisse statuerim. Neque probare possum, quod vir ille doctus Taciti orationem per omnes libros dicit esse unam neque magis in Annalium libris cerni proprium eius ac peculiare dicendi genus quam in ceteris scriptis, quorum prima (ut taceam de dialogo) viginti fere annis ante in lucem prodierunt. — Omnia autem exempla ad illustrandam hanc consuetudinem afferre supersedeo; quae Spittam recte monuisse censeo, repetere superfluum esse ratus, cum ea promam, quibus hoc dicendi genus optime perspici posse iudico, tum ea, ubi ab illius interpretatione dissentiens ubertatem aut abundantiam persentiscere mihi videor.

Quare ad hos locos animos convertamus: dial. 6, 5[1]) *libero et ingenuo animo et ad voluptates honestas nato.* — 9, 17: *toto anno, per omnes dies, magna noctium parte.* 10, 16 *omnem eloquentiam omnesque eius partes.* 10, 38

[1]) Michaelis utor numeris.

*personam notabilem et cum auctoritate dicturam.* 12, 19 *dis genitos sacrosque reges.* 28, 29 *sincera et integra et nullis pravitatibus detorta unius cuiusque natura.* 33, 2 *ut inchoasse ac velut vestigia ac liniamenta ostendisse videaris.* 34, 12 *in media luce atque inter ipsa discrimina.* 35, 17 *suasoriae tamquam leviores et minus prudentiae exigentes.*

Agr. 16 *innocens Bolanus et nullis delictis invisus.* Agr. 34 *si novae gentes atque ignota acies constitisset.* Germ. 2. *vocabulum recens et nuper additum.* 4. *propriam et sinceram et tantum sui similem gentem,* — ubi monere velim, adiectivorum in numero longe creberrime in vocibus *recens, novus, vetus* hunc morem observari posse. Perlustres quaeso mecum hos locos: dial. 19, 20 *erant haec nova et incognita.* H. V 4: *novos ritus contrariosque ceteris mortalibus.* A. IV 34: *novo ac tunc primum audito crimine.* XII 37: *novum sane et moribus veterum insolitum.* XIII 35: *quasi nova et mira viserent.* — dial. 16, 19: *ego enim, cum audio antiquos, quosdam veteres et olim natos intellego.* Ag. 14 *vetere ac iam pridem recepta consuetudine.* G. 5 *pecuniam probant veterem ac diu notam.* H. II 38: *vetus ac iam pridem insita mortalibus potentiae cupido.* IV 76: *veterem expertumque belli.* A. I 4: *vetere atque insita Claudiae familiae superbia.* II 54: *locos veteres et fama celebratos.* III 54: *morbos veteres et diu auctos.* IV 4: *vetus et saepe simulatum consilium.* XIII 19: *vetera et saepius iam audita.* XIV 36: *vetus miles et multa proeliorum experientia.* XV 5: *Vologesi vetus et penitus infixum erat.* (cf. infra p. 26) — G. 7 *non casus nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit.* 12 *licet apud concilium accusare et discrimen capitis intendere.* 26 *foenus agitare et in usuras extendere ignotum* (rectissime enim Halmium[1]) monere existimo, non esse cogitandum de fenore ex usuris capto; neque enim probabile est, Tacitum, cum fenus non agi memorasset a gente libidinibus aut cupiditatibus Romanum in morem nondum corrupta, insuper addi-

---

[1]) l. l. p. 14.

disse, anatocismum quoque et feneratorum artes ab ea afuisse.) G. 7. *penes hos initia pugnarum, prima semper acies.* 37. *occasione discordiae nostrae et civilium armorum.* 40. *proeliis et periclitando tuti sunt.* 45. *mare pigrum ac prope immotum.*

Quos locos ubi perlustravimus, tamquam commune omnium hoc animis nostris se offert, quod notionem aliquam generaliorem excipit altera, quae illam restringit vel certioribus finibus circumscribit: sic primum universe dicitur (dial. 9.) ‚toto anno', tum paullo definitius: ‚per omnes dies, magna noctium parte', sic (Ag. 16.) Bolanus cum innocentia tum eo, quod nullis delictis invisus erat, summa apud milites caritate floruisse narratur. — Sed quaerat quispiam, ecquam vel ubi tandem ubertatem in his latere vis? tune scriptorem audes reprehendere ut nimis verbosum, si quando brevitatem perspicuitati posthabuit? At nolo castigare Tacitum eo nomine aut vero recidendo quod abundat corrumpere potius quam corrigere eius orationem, sed observari puto non minore iure neque minore fructu, quid luxuriose quam quid breviter ab eo dictum sit. Luxuriem autem perspicere mihi videor G. 7: *non fors nec fortuita conglobatio*: distinctius sane est ‚fortuita conglobatio', latius patet ‚fors', sed dubito an nihil lateat in voce fors, quod non denuo expressum sit vocibus: fortuita coglobatio. G. 4. *propriam et sinceram et tantum sui similem gentem:* idem fere cum significent ‚proprius' et ‚sincerus', iam in his ubertas quaedam inest; augetur autem novo additamento, quo gens sincera sui tantum similis dicitur. — Longum est, omnes locos in disputationem vocare; duos postremo promam: G. 31: *initia pugnarum, prima acies* et G. 37: *occasione discordiae nostrae et civilium armorum:* diversa sane sunt ‚initia pugnarum' et ‚prima acies', persentiscere nobis videmur, quo consilio scriptor utrumque posuerit, sed nonne per se probabile est, initia pugnarum a prima fieri acie, vel eos, qui primi proelia inire soleant, in primis ordinibus collocari? — Altero denique in loco, etiamsi statuamus, de industria Tacitum duobus verbis usum esse, quo verius pingeret rei publicae quae tum erat conditionem,

cum occiso Nerone Galbae avaritia militum civiumque discordiam ciebat, unde paullo post bellum illud atrocissimum de principatu ortum est, tamen gravius et illi loco aptius posterius esse concedemus, prius positum esse etsi non sine omni tamen non ea vi, ut necessario requiri apertum sit.

Quae si cui forte nondum satis gravia videntur, alia habeto, ubi non vereor, ne quis, quamvis et admiretur et tueatur brevitatem Tacitinam, abundantiam mea demum interpretatione inferri dicat. Abundat enim dial. 9, 1 in verbis: *carmina et versus . . . neque dignitatem conciliant* . . . ‚versus' iuxta ‚carmina', superflua est vox ‚spectantem' dial. 13, 9: *auditis in theatro Vergilii versibus populus forte praesentem spectantemque Vergilium veneratus est;* nam nullam aliam ob causam, nisi ut ludos spectaret, Vergilius in theatro affuit. Non requiritur dial. 41, 3 illud: ‚saluberrimis corporibus' in tali connexu: *minimum usus . . ars medentis habet in iis gentibus, quae firmissima valetudine ac saluberrimis corporibus utuntur;* nihil nisi elegantis orationis amor scriptorem movit, ut dial. 20, 21 scriberet: *visum et oculos*(respondent enim supra duae voces: imbrem ac ventum.) Neque secus iudico de Ag. 36: *complexum armorum et in arto pugnam* G. 28: *occuparet permutaretque sedes promiscuas adhuc et nulla regnorum potentia divisas.* 31. *votivum obligatumque virtuti oris habitum.* 46. *pedum usu ac pernicitate gaudent*: explicetur licet et illustretur verbum alterum altero, tamen necessariam esse illam explicationem haud ita facile quisquam ostendet.[1])

Jam restant pauca huius generis exempla, quae non ut spicas metentium neglegentia adhuc praetermissas nunc demum

---

[1]) Contra Ag. 18: *qui classem, qui naves exspectabant* sua utrique voci vis propria servata est, modo sensum recte intellegamus, qui mihi talis videtur: Britanni Romanos non sine classe bene ornata instructaque aut certe non sine navibus mare transgressuros esse exspectabant, quod hi adeo non fecerunt, ut non muniti classe neque omnio praesente navium copia nando in insulam a barbaris occupatam transveherentur.

colligo, sed quoniam inter se simillima mihi videntur, una in conspectu ponam:

H. I 80 *urbem ac Palatium petunt*

II 38 *in urbe ac foro temptamenta civilium bellorum*

A. II 34 *cum virgines Vestales in foro et iudicio audiri, quotiens testimonium dicerent, vetus mos fuerit.* Horum nescio an nullam iniecissem mentionem, nisi eorum similitudine defendi posse putarem verba ‚in comitio ac foro', a Peerlkampo extincta e textu Ag. 2: *delegato triumviris ministerio, ut monumenta clarissimorum virorum in comitio ac foro urerentur.* Offendit autem vir doctus cum in eo, quod duo ponantur, cum sufficiat unum, tum quod priore loco nominetur comitium, posteriore forum, cuius partem comitium fuisse constet. Quod ad priorem attinet causam, eodem iure etiam illis, quos modo celebravi, locis alteramutram vocem delere possumus; nam ibi quoque singulae voces sententiae satisfaciunt. Tum vero dubito, an Tacitus verba ‚in comitio ac foro' idem valere voluerit atque: in comitio et sub omnium oculis. Ita si scriptoris consilium recte intellegimus, non iam erit, cur verba in dubium vocemus.

Postremo affero G. 39: *in silvam . . auguriis patrum et prisca formidine sacram . . coeunt,* nam illud ‚prisca formidine' haud ita diversum esse arbitror ab ‚auguriis patrum', ut intellegatur locus a maioribus quondam consecratus et ab antiquissimis temporibus summa reverentia habitus. (quocum conferas H. VI 15 *Barbaro ritu et patriis exsecrationibus universos adigit.)*

Verum etiam aliam ob causam ille locus memorabilis mihi videtur: verba *auguriis patrum et prisca formidine sacram* plenum neque inelegantem efficiunt versum hexametrum; atque hac data occassione, etsi ad quaestionem, quae agitur, minus pertinet, paucis exponam, quid de versibus, qui in Taciti scriptis inveniuntur, deque rationibus eorum iudicandum esse censeam, qui scriptorem talem verborum ordinem anxie vitasse rati librariis ob versus in textu conspicuos

inculpatis aut transponendis aut eiciendis verbis versus tollendos esse arbitrantur.

Ac testem hi afferunt locupletem, Quintilianum (inst. or. IX 4, 72.) a quo discamus, foedum veteribus visum esse, totos versus in oratione soluta fieri. Possunt etiam alium hac de causa contestari: Ciceronem, (cum de or. III 47, 182, tum or. 56, 189.) qui ut de tota re cum illo consentit, vehementer vitiosum esse, quod interdum versus in oratione per imprudentiam dicamus, ita Senarios et Hipponacteos vix effugere nos posse fatetur. ‚*Magnam enim partem*‘, inquit, ‚*ex iambis nostra constat oratio, sed tamen eos versus facile agnoscit auditor, sunt enim usitatissimi. Inculcamus autem per imprudentiam saepe etiam minus usitatos, sed tamen versus, vitiosum genus et longa animi provisione fugiendum*‘. Hinc ad Tacitum ut revertamur, intueamur versus apud eum indagatos; sunt sane versus, sed quales! confragosi, horridi, non plenam sententiam aut nexum quendam notionum exprimentes, sed laceri, scissi, saepe terminis enunciatorum, paene dixi capitum, dirempti, qui non tam imprudentia negleguntur quam minutiore quadam cura indagantur. An cuiquam ultro se offeret versus hexameter G. 18: *ne se mulier extra virtutum cogitationes extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur.* Risum teneatis has inter nugas. Nec inferior illo est G. 32: *Tencteri . . praecellunt; nec maior apud Chattos peditum laus quam Tencteris equitum.* Nolo reliquos afferre, quorum si quis cupidus est, Ritteri inspiciat notam ad Ann. I 1. (ubi in transcursu monere velim, mihi quidem non contigisse, ut hexametrum, ab hoc dial. 13, 26 inventum: *nec incertus futuri testamentum pro pignore scribam* nisi laesis prosodiae legibus eruerem.) Tales versus aequo animo inculcemus, sicut Tacitus, sicut aequales eius, et ipsi latini sermonis et elegantiae periti, inculcarunt. — At vitiosum est neque probabile, scriptorem aut consilio aut neglegentia tot versus admisisse. Sic Peerlkampus quidem censet (in edit. Agricolae, p. 1): profectus enim a Taciti verbis, quae extant in exordio

Agricolae: *antiquitus usitatum ne nostris quidem temporibus* . . e quibus ad tollendum quem indagavit versum senarium voces ,antiquitus usitatum' delendas esse statuit (quo iure, infra videbimus), ex Livii scriptis plures collegit totos versus, quos omnes, quoniam Quintilianus l. l. nullam eorum mentionem fecit, mutandos esse iudicat. Sic enim concludit: Quintilianus hos versus cum non memoret, consequens est, in eo quod manibus tenebat exemplo verba nondum eo se excepisse ordine, ut versus efficerent (neque enim credibile est, hominem illum, summa diligentia summoque ingenii acumine praeditum, eos non attendisse, nisi forte eum omni aurium iudicio caruisse fingimus.) Librarii igitur castigandi sunt, quod incuria et oscitantia sua scriptorum verba inquinaverunt bonique scriptores quantum fieri potest his vitiis liberandi; neque enim habemus, cur, quod in Livii libris factum esse videmus, aliorum scriptis non accidisse putemus. — Sed valde miratus sum, virum illum doctissimum, Peerlkampum dico, cum in principio commentarii in Agricolam scripti praefracte negaret, quemquam nisi paene surdum talia non exaudire, ipsum infra (cf. not. ad Ag. 46 p. 180) transpositis Taciti verbis non unum sed, si quid video, paene duos efficère versus senarios: *Si . . non cum corpore exstinguuntur animae magnae, si quis piorum manibus locus, placide quiescas nosque domum tuam ab infirmo desiderio . . . ad contemplationem virtutum tuarum voces.* Ipse igitur luculenter ostendit, haud ita difficulter talia audientem aut legentem fugere; quare scriptores quoque ea etsi non affectasse tamen interdum non animadvertisse crediderim.

Alia autem res est ibi, ubi versus deprehendimus ita conformatos eisque locis positos, ut quisquis eos legit, nedum scriptor ipse, non exaudire non queat. Quo in numero habendum est annalium exordium: *urbem Romam a principio reges habuere* et locus ille Germaniae supra laudatus; tales versus non nescium iudico Tacitum, ubi occasio dabatur, orationi solutae inseruisse, sive elegantiam eam ratus ipse eos composuit sive illum verborum ordinem quasi pervulgatum

aut poetarum ex verbis receptum tenuit: certe hos consulto posuit, illos nescio an consulto non vitaverit.

His igitur universe dictis quid proprie de initio Agricolae statuendum sit iam videamus. Sunt verba: ‚Clarorum virorum facta moresque posteris tradere antiquitus usitatum ne nostris quidem temporibus quamquam incuriosa suorum aetas omisit, quotiens magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac supergressa est vitium parvis magnisque civitatibus commune, ignorantiam recti et invidiam‘. His igitur dicit scriptor, veterem morem celebrandi laudes virorum illustrium ne suis quidem temporibus neglectum esse, etsi qui tum essent homines aequales suos minus curarent quam prisci illi. Quodsi, ut Peerlkampus vult, *antiquitus usitatum* delemus, enervatur vis sententiae nec habent, quo referantur verba: ‚ne nostris quidem temporibus.‘ Quod vero dicit vir ille doctus, discrimen ostendere Tacitum inter priores et suam aetatem, non tam his verbis hoc continetur quam illis quae subsequuntur inde a: ‚sed apud priores‘ sq. Quae cum ita sint, et illa verba et versum senarium Tacito relinquenda esse censeo.

Sed iam tempus est redeundi ad id, quod nobis proposuimus; itaque pertractatis scriptis minoribus ad Historiarum libros accedamus. Ibi statim incidimus in haec verba: I 2: *cum . . agerent, verterent cuncta odio et terrore.* De quibus priusquam disseram, similia subiungam: I 22: *proinde agendum audendumque* I 41: *agerent ae ferirent,* A. XII 64: (*Agrippina*) *agere et celerare statuit.* Commune igitur vides his locis esse, quod agendi verbum, quippe cuius vis paullo latius pateat, addito altero certius definitur; nec tamen eandem in omnibus rationem valere existimo: in secundo enim et quarto agendi verbum cum sequente in unam fere notionem coaluisse arbitror ita, ut posterius quodammodo adverbii vice fungatur, in reliquis posterius verbum fortius est eamque habet vim, quae ibi maxime desideratur, ita ut prius sequente quodammodo obscuretur nec tamen prorsus occultetur.

Eademque ratione ductus scriptor orationis perspicuitati

uberiore quodam dicendi genere consuluit, cum scriberet H. I 5: *laudata olim et militari fama celebrata severitas.* ibid. 8: *solliciti et irati.* 13: *discordes et rebus minoribus sibi quisque tendentes.* 25: *memoria Neronis et desiderium prioris licentiae.* 31: *incipiens adhuc et nondum adulta seditio.* 50: *trepidam urbem ac simul atrocitatem recentis sceleris simul veteres Othonis mores paventem.* (cf. II 8: *donec . . trepidus et vim metuens aufugeret*) 86: *in prodigium et omen imminentium cladium vertebatur* (cf. IV 83. *Ptolemaeus omine et miraculo excitus*) 88: *levissimus quisque et futuri improvidus.*

Pressam in his orationem, nisi verba nimis presseris, haud facile cognosces; neque enim periculum est, ne absente voce priore sententia stare omnino non possit, sed ponitur prius verbum ad sententiam plenius illustrandam amplificandamque. Exempli causa moneo ‚solliciti et irati': hominem iratum sollicito esse animo nemo ignorat, sed multis affectibus cum possit aliquis sollicitari, scriptor addito ‚irati' indicare voluit, ira maxime illorum animos esse affectos. Atque eadem fere ratiocinatione ubertatem in locis reliquis defendere possumus, sed non aeque poterimus I 27: *Othone id ut laetum et suis cogitationibus prosperum interpretante;* novi enim nihil infertur hoc additamento, neque alia de causa ‚laetum' a Tacito positum esse arbitor, nisi ut responderet voci ‚tristia', quae supra extat *tristia exta et instantes insidias ac domesticum hostem praedicit;* hic profecto sequentibus vocibus explicatur, quod primum universe dicitur: tristia exta', ibi scriptor, aequabilem ut redderet orationem, parem membrorum, sententiarum non parem effecit numerum. Magis autem dubito, quid faciam H II 4: *pandi viam et mare prosperum accipit* II. 12: *possessa per mare et naves maiore Italiae parte.* II 84: *quae gravia atque intoleranda* III 22: *proelium tota nocte varium, anceps, atrox, his, rursus illis exitiabile.* III 28: *varia pereuntium forma et omni imagine mortium.* III 33: *vi manibusque rapientium divolsus.* III 38: *non se proprio metu nec sui anxium* IV 44: *gravi senatus consulto damnati pulsique.*

Exordiar a proxime praecedente, quo in loco Spitta

(l. l. p. 14) ‚et' particula id adiungi memorans, quod ex prioribus consequens sit, (ut ‚et' idem valeat atque ‚et de ea causa') rectissime perspecto sententiarum connexu abundantiam, quam ibi agnosco, non videtur esse tutatus. Abundare autem iudico vocem ‚damnati' ut non obscure latentem in sequenti ‚pulsi', (neque patiar auxilium peti a loco huius simili H. I 4: *damnatorum et exsulum*, quia exsulare cum etiam sponte aliquis possit, ‚damnatorum' significat, illos in exsilium non esse ultro profectos sed iudicio proiectos). Dixerit quis, hic quoque Tacitus primum universe dicit, eos esse damnatos, tum addit, qua poena affecti sint; quod ut recte monet, ita ne sic quidem ostendet, necessario requiri vocem ‚damnati'. Quid autem idem iudicabit de verbis: gravia atque intoleranda'? augetur sane alterum alterius notione, sed ita augetur, ut prius paene evanescat. Porro ‚proelium varium, anceps, atrox' modo his modo illis exitiabile fuisse ex tribus adiectivis satis superque elucet; hominem proprio metu affectum de sua salute anxium esse etiam nullo monente ultro cogitamus; neque video, quantum explicetur vel amplificetur ‚varia pereuntium forma' sequentibus: ‚et omni imagine mortium', quantumve augeatur sententia eo quod coniunguutur III 76 ‚egredi moenia' et ‚periculum in aperto audere.' Denique cui bono Italiam per mare et naves possessam esse scriptor dicit, cum nec mare ipsum nec quidquam per mare nisi navibus teneri posse in propaluto sit? Quid spectatit, cum Tito de navigatione consulenti responsum esse traderet: ‚pandi viam et mare prosperum esse'? Ab oraculorum ambagibus valde abhorret haec nimia perspicuitas.[1]) Profecta autem haec quoque sunt ex more,

[1]) Etiam alium locum huc referre in animo habui: II 50: *(memorant avem) inde non coetu hominum aut circumvolitantium avium territam pulsamve,* quia veritus sum, ne frustra desudaret, si quis intercedere discrimen inter illa verba ostendere susciperet. Sed cum locum iterum retractassem, dubitatio mihi orta est, an terreri hominum, pelli alitum coetu avis illa diceretur, atque amovendi vis, quae utrique subest verbo, ita variaretur, ut pavor ac terror in priore, impetus ac vis in posteriore plus valeret.

supra paucis adumbrato, nisi quod in his nimium videtur indulsisse illi consuetudini, cum alterum verbum altero paene obruatur.

Sed admodum rara sunt exempla, ubi meram abundantiam perspicere possumus, longe crebriora ea, ubi nonnihil immutari sententiam vel novum addi concedendum est.

Qualia invenimus: H. II 12. *non Italia adiri nec loca sedesque patriae videbantur.* 15. *securum hostem ac successu rerum socordius agentem.* (cf. III 79. *incautum et tamquam ad victos ruentem*) II 30 *plus virium, prope duplicatus legionum auxiliorumque numerus* (cf. 76 *novem legiones integrae, nulla acie exhaustae, non discordia corruptae)* 34 *claudebat pontem turris imposita et in extremam navem educta.* 41. *redire pulsos et pugnam resumere coegit.* III 8 *incruentam et sine luctu victoriam*; ibid: *gloriae avidus atque omne belli decus sibi retinens.* 53. *maiore damno, plurium urbium excidiis.* 65 *sermonibus de pace ponendisque per condcionem armis agitare.* (similiter 66: *pacem et condiciones abnuebant.)* IV 75 *vana et sine viribus nomina.* 86 *disparem mitioremque naturam.* V 4 *novos ritus contrariosque ceteris mortalibus.* 5. *tributa et stipes illuc congerebant.*

Neque Annalium libri talibus carent exemplis: I, 4. *prisci et integri moris.* 20 *antiquam duramque militiam.* 28 *noctem minacem et in scelus erupturam* 70 *vox et mutui hortatus.* II 6 *in speciem ac terrorem* 13 *perfidos et ruptores pacis.* 24 *novissimum ac sine terris mare.* 39 *ad maiora et magis praecipitia conversus.* 43. *Tiberius ut proprium et sui sanguinis Drusum fovebat.* 82. *iuvat credulitatem nox et promptior inter tenebras affirmatio.* III 12. *incerta adhuc et scrutanda sunt.* 33. *imbecillum et imparem laboribus sexum.* 66 *maior in dies et infestior vis.* 70. *fuga, vastitas, deseri itinera, fora.* VI 1 *formam et decora corpora* 22. *fato et necessitate immutabili.* XI 36 *commotum his et pronum ad misericordiam.* XII 14 *rem in casum dare proelioque experiri statuit.* XIII 29 *varie habita ac saepe mutata eius rei forma.* 35. *(vallum fossamque) quasi nova et mira viserent.* XIV 28 *an-*

*tea vacuum id* (sc. imperatorem appellare) *solutumque poena fuerat.* XV 10 *in diversa ac deteriora transibat.* 24 *se priora et totiens iactata nunc omittere* 28 *non infensum nec cum hostili odio Corbulonis nomen . . habebatur.* XVI 18 *dicta factaque eius quanto solutiora et quandam sui neglegentiam praeferentia.* 22. *assiduum olim et indefessum.*

Jam restant nonnulla exempla, in annalium libris conspicua, ubi similiter atque supra id, quod adicitur, abunde adici arbitror. An scriptorem brevitatis studiosum exspectamus scribere I, 18 *detrita tegmina et nudum corpus exprobrantes.* 61 *ubi infelici dextra et suo ictu mortem invenerit.* II 25 *invictos et nullis casibus superabiles Romanos praedicabant?* — At augetur sententia et amplificatur illis additamentis: illustratur adiecto ‚nudum corpus‘ id, quod prius extat ‚detrita tegmina‘, ut hic fere evadat sensus: adeo detrita tegmina, ut corpus iam denudaretur. Licet hoc loco tali interpretatione tueamur verborum significationes, in ceteris ne hac quidem arte bene uti poterimus. Porro illustraturne (ne dicam expletur) sententia, si Tiberius II 83, ubi agitur de clipeo Germanico inter auctores eloquentiae dicando *solitum paremque ceteris* se dicaturum promittit? Abunde additur ‚paremque ceteris‘, nam clipeus impar ceteris non iam est ‚solitus‘.

Itemque redundat III, 8. *vitato omni secreto,* cum proxime praecedat *palam;* (paullo aliter res se habet II 35 *palam et sub oculis Caesaris,* quia quae palam fiunt, non ideo in conspectu Caesaris fieri necesse est.) Quid vero iudicabimus IV 49 *contrahere claustra artaque circumdare?* nonne alterum in altero latet? num maius aut omnino aliud est, vitae manifestum, aliud, spirantem esse, quae Tacitus coniunxit XII 51: *Zenobiam placida in eluvie spirantem ac vitae manifestam advertere pastores?* Quin ne dubitavit quidem, notioni fortiori multo leviorem adiungere XII 57: *convulsis* (aquarum vi) *ulterioribus aut fragore et sonitu exterritis.*

Ac licet nobis etiam longius progredientibus hac in via, cum congesserimus exempla, ubi vox aliqua in proxime subsequentibus certius definiebatur, sive apta erat illa de-

finitio sive superflua, eos quoque locos conferre, ubi plena enunciata aut singulis vocibus aut ipsis enunciatis adnectuntur.

Cuius generis e dialogo affero:

16,16: *interrogabo, quos vocetis antiquos, quam oratorum aetatem significatione ista determinetis.* 38, 4. *nemo intra paucissimas horas perorare cogebatur et liberae comperendinationes erant et modum dicendi sibi quisque sumebat.* 40, 22. *nostra civitas, donec erravit, donec se partibus et dissensionibus et discordiis confecit.*

Ac ne forte credas, tantum intra iuventutis spatium Tacitum sic esse locutum, hos velim intuearis Historiarum et Annalium locos:

H. I 62. *laetum augurium exercitui . . aquila . . praevolavit . ., ut haud dubium magnae et prosperae rei omen acciperetur.* I 80. *parvo initio, unde nihil timebatur, orta seditio* I 83. *diversis militum animis, cum optimus quisque remedium licentiae posceret, volgus et plures . . ad civile bellum impellerentur.* H. II 3. *artem haruspicum accitam et Cilicen Tamiram intulisse.* H. II 4. *laeta et congruentia exta et magnis consultis adnuere deam videt.* 22. *cum augeret stragem trepidatio eoque acrius e moenibus vulnerarentur.* 25. *cunctator natura et cui cauta potius consilia cum ratione quam prospera ex casu placerent.* 38. *subacto orbe et aemulis urbibus regibusque excisis.* III 2. *iuvabit sequi et vestigiis vincentis insistere.* 7. *vulgata victoria, post principia belli secundum Flavianos data* [1]. 10. *ubi crudescere seditio et a conviciis ac probris ad tela et manus transibant.* 42. *fidus Vitellio, cuius sacramentum cunctis circa hostilibus nondum exuerat.*

A. IV 46. *pati dilectus et validissimum quemque militiae nostrae dare aspernantur.* A. V 9. *vanescente plebis ira ac*

---

[1]) Haeserunt ibi Ernesti et Ritter: ille, quod vulgetur, aperte depravatum esse ratus, cum dubitare non liceat, quin verba: ,post

*plerisque per priora supplicia lenitis.* XI 2. *corruptionem militum, quos pecunia et stupro in omne flagitium obstrictos arguebat.* XI 34. *aperiret ambages et veri copiam faceret; sed non ideo pervicit, quin suspensa et quo ducerentur inclinatura responderet.* XV 49. *quis primus auctor, cuius instinctu concitum sit, quod tam multi sumpserunt.* XV 54. *praemia perfidiae reputavit, simulque immensa pecunia et potentia obversabantur.* XV 56. *interrogantur, quisnam is sermo, qua de re fuisset.*

Ne longus sim, plura exempla promere nolo, cum genus ipsum eis, quae attuli, satis adumbrasse mihi videar. Apparet autem hic quoque idem scriptoris mos, quo sententiam supra sive una voce sive pleno enunciato expressam infra pluribus explicare studet; atque adiungit enunciata, illo consilio posita, (eodem fere modo, quo supra singulas voces additas esse invenimus) plerumque per ‚et' particulam; interdum relativis utitur pronominibus, (cf. H. III 42. A. XI 2.), perraro nullam adhibet coniunctionem. Neque in eo hi loci dissimiles sunt prioribus, quod nonnunquam aut explicantur, quae per se clarissima sunt, aut aucta verborum copia non augetur sententiae perspicuitas (cf. dial. 16. 36. H. II. 4.). Denique monendum est, eiusmodi locos per omnes fere libros pariter deprehendi neque aut copiam eorum aut gravitatem abundantiarum pedetemtim sic immutari, ut ista mutatio certis numeris circumscribi possit.

Atque his quidem cum peracta sit haec disputationis

---

principia belli secundum Flavianos' commode abesse possint, imo supervacua sint, ad ea delenda pronus videtur esse (aperte enim non profitetur); hic eadem ratiocinatione ductus audacius agens illa verba expellere non dubitavit. Quod ipse probare nequeo, neque, etiamsi abundarent verba, ideo eicienda essent. Sed re vera novam afferunt sententiam, quae, etsi non prorsus necessaria, est tamen e more Taciti, quo sententiam paucis adumbratam in sequentibus auctam aut certius circumscriptam repetere solet.

pars, priusquam ad proximum caput progrediamur, paucis disserendum est de tribus locis, qui, prout quemque eorum intellegimus aut scribimus, hoc in numero aut habebuntur aut non habebuntur.

Ex quibus primum nomino A. XIV, 10, ubi Nero de Agrippinae nece cum alia tum haec ad senatum scribit: ‚*luisse eam poenam conscientia, qua scelus paravisset.* Ita haec verba in libris traduntur, itaque Draegerus ea intellegit: ‚weil sie sich der Schuld (sc. filio insidias struxisse) bewusst gewesen, habe sie ihr Verbrechen selbst gesühnt'; qua interpretatione nec sententiae nec verbis vis infertur, ac deprehendimus eandem ac supra consuetudinem, cum vox ‚conscientia' sequenti enunciato certius definiatur. Nipperdeius autem, ne quis ‚poenam' cum ‚eam' coniungeret veritus, ‚poenas' scribit atque infra pro ‚qua' ‚quas' ponit. Qualem coniecturam satis facilem esse aptamque et ipsam efficere sententiam ut negari non quit, ita necessariam esse haud facile ostendetur; adde quod ‚poenam' de una nece melius dicitur quam ‚poenas'. Eademque de causa etiam Halmii commentum ‚poenas conscientia quasi' scribentis, improbaverim; atque insuper ‚quasi' pro ‚quod' positum (sic enim ipse interpretatur) me offendit, quia dubito, num haec vocis ‚quasi' significatio cum apud alios scriptores tum apud Tacitum certis testimoniis firmari possit.

Standum igitur esse iudico in librorum lectione et hoc in loco et A. XIII 34: *Armenii ambigua fide utraque* (sc. Romanorum et Parthorum) *arma invitabant, situ terrarum, similitudine morum Parthis propiores connubiisque permixti ac libertate ignota illuc magis, ad servitium, inclinantes.* Ibi Nipperdeius, Lipsium secutus, ponit ‚illud (i. e. Parthorum) magis ad servitium inclinantes', quia traditum ‚illuc', quod sequenti ‚ad servitium' illustretur, pravam putat reddere sententiam; perverse enim dici hominem libertatis ignarum magis inclinare ad servitium, cum ad libertatem inclinare omnino non possit. Quod licet recte moneatur, tamen dubito, num Tacitus voluerit mente cogitari ‚quam ad nostrum ser-

vitium' (quod ex Nipperdei coniectura fingere cogimur); neque enim subditorum conditionem servitium a Romanis appellari arbitror. Ipse quod traditur ita servari posse indico, ut ,ad servitium' non tam explicare dicatur vocem ,illuc' quam apponi sensu concessivo, ut haec evadat sententia: illuc, etsi ad servitium, magis inclinant (sc. quam ad nos, ubi liberius agerent); atque quo magis emineat haec notio, verba ,ad servitium' virgulis inclusi. Quae interpretatio si non est probanda, libentius Nipperdei inventum amplector quam Halmii: ,illuc magis ut ad servitium'.

Postremo in disputationem vocandus est locus, qui extat A. IV, 3: *ceterum plena Caesarum domus, iuvenis filius, nepotes adulti moram cupitis* (sc. Seiani) *adferebant; et quia vi tot simul corripere intutum, dolus intervalla scelerum poscebat*, ubi enunciato per ,et' adiuncto sententiam, quae praecedit, explicari puto; (neque aliter nexum sententiarum intellegit Spitta l. l. p. 20 21). Nipperdeius contra deleto ,et' atque ante ,dolus' animo cogitans ,quia' utraque sententia causam afferri statuit, cur Seiani cupita tardata sint. Haec enim sunt eius verba: ,wollte er mit Gewalt verfahren, so musste er über alle Mitglieder des Kaiserhauses zugleich herfallen (deshalb wird *vi tot simul corripere* gleich zusammengefasst, weil es die Möglichkeit *vi singulos diversis temporibus corripere* nicht gab): dies war aber eben wegen ihrer Menge unsicher, und er musste also, wählte er diesen Weg, warten, bis sich eine Gelegenheit bot, wo es sicher geschehen konnte'. Sed subdere mihi nonnihil videtur vir doctus Taciti verbis, cum dicit: ,er musste warten', quasi Tacitus scripsisset: ,vi tot simul corripere tum quidem intutum', cuius notionis nec vola est nec vestigium. Imo scriptor de certo quodam tempore adeo non videtur cogitare, ut omni tempore propter multitudinem vi uti intutum fuisse profiteatur. Quod si recte moneo, hac sententia non potest latere altera causa morae Seiano allatae, et hic evadit nexus: e duabus, quae Seiano patebant, viis altera (vis) intuta, altera (dolus) longinqua erat; itaque tardabantur eius consilia,

quia cum vi propter frequentiam domus Caesareae grassari non posset, dolo ei utendum erat. Apteque pergit scriptor: ‚placuit tamen' (sc. quamquam moram attulit) ‚occultior via'; quare iniuria Halmium dubitare existimo, an pro ‚tamen' ‚tandem' genuinum habendum sit. Itaque ne hic quidem quidquam mutandum esse arbitror.

---

## Caput II.

Alterius quod statui generis, ubi synonyma quae vocantur aut bina aut etiam plura componuntur, multo largiora inveniuntur exempla; neque hoc ita mirandum, quoniam et natura sermonis latini hanc ubertatem quodammodo exposcit et consuetudo fere aequabilis scriptorum omnium hunc morem retinuit.

Sed non omnibus locis, ubi synonyma copulantur, eadem cernitur abundantia: ea enim verba similia, quorum alterum alterius significationem aut illustrat aut restringit, vel, ut breviter dicam, alterius notioni aliquid addit, non eadem ratione composita esse apparet atque ea, ubi nihil fere discriminis inter singulas notiones deprehenditur; quare recte Boetticher ‚multa', inquit, ‚abundarent in stilo Taciti, si idem plane significarent synonyma, quae vulgo dicuntur'. [1])

Verum intricatissima est haec quaestio ac plerumque non tam certis rationibus quam solo legentis arbitrio expedienda, quia synonyma, quae alio loco non plane idem significant, alio notionem videntur exprimere unam. Quae cum ita sint, ut quisque sententiam totam intelleget, ita synony-

---

[1]) Lexic. Tac. p. LXLI.

morum congestum aut perspicuitati aut elegantiae orationis inservire iudicabit, vel hic servata utriusque significatione propria alterum altero illustrari et explicari, illic paene nulla notionum diversitate nullo sententiae (non dico orationis) detrimento alterutrum abesse posse statuet. Atque posterius quidem genus optimo iure abundans, prius copiosum dixeris. Neque enim Boetttichero, brevitatis Tacitinae propugnatori impigerrimo, libens concesserim,[1]) ea quoque, quae, cum copiam quandam verborum prae se ferant, contra brevitatis legem repugnare videantur, re vera vim alacritatemque orationis ita augere, ut ipsa quoque inter brachylogiae exempla referri possint. Mira profecto est brachylogia, quae sententiam pluribus augeri et amplificari patitur.

Itaque bipertita de his locis quaestione instituta prius eos tractabo, ubi notio altera addita simili aut certius definitur aut plenius explicatur, deinde ad eos me convertam, ubi similia non iam copiose, sed abundanter coniunguntur[2]).

Atque in dialogo quidem prioris quod dixi generis haec indagavi exempla:

1, 5. *memoria et recordatione* (cf. Cic. Lael. 27, 103: *quarum rerum recordatio et memoria, si una cum illo occidisset.* — prov. cons. 18, 43: *ultimi temporis recordatione et proximi memoria.*) 4, 2 *frequens et assidua contentio.* 4, 3. *agitare et insequi.* 5, 26 *metum et terrorem ultro ferat.* (cf. Cic. Verr. IV 19, 41: *metum ac timorem.*) 4, 28 *perpetua potentia ac potestate munitus.* 5, 29 *aliorum perfugio et tutela.* 6, 5. *libero et ingenuo animo* 6, 6 *plenam et frequentem domum* 6, 14 *homines veteres ac senes.* (quod ad hunc locum

[1]) l. l. p. LXL.

[2]) Rothii libellus, qui inscribitur: Taciti synonyma et per ἓν διὰ δυοῖν dicta, Norimbg. 1826 mihi praesto non fuit; itaque si qua iam ab hoc prolata eodem modo posui, venia mihi petenda est, et si qua ab hoc iustioribus rationibus tractata ipse minus probabilibus persecutus sum, magnopere doleo, quod eius doctrina spectabili mihi uti non licuit.

adnotat Andresenus: veteres sind Leute, die ein reiches, senes die ein langes Leben hinter sich haben, argutius quam verius positum esse mihi videtur, vellem certe allatis exemplis hanc notionum diversitatem firmasset. Neque maiorem probabilitatem tribuere possum Peteri invento, qui hominem veterem homini novo, qui proprie dicitur, opponi censet; atqui ipse hanc vocis ‚vetus' significationem aliunde illustrari non posse fatetur. Quam cum poneret, ea ratiocinatione ductus est, qua vocabulo ‚vetus', ubi aetatem exprimat, (raro autem ita obvenit,) senectutem annis iam confectam significari arbitratur; quasi voce ‚senex', quam non tollit, non eadem notio in sententiam inferri possit. Sed vereor, ut minus difficulter haec illius vocis vis ex scriptorum usu comprobanda sit quam altera, quam ei obtrudere vult. Itaque, si quid interesse volumus inter haec vocabula, ea definitione acquiescamus, quam Doederlinus[1]) protulit, ut vetus homo sit, qui diu vixit, senex, qui ob longam aetatem venerabilis est.

Quamquam fateor, me proniorem esse in eam sententiam, ut Tacitum his duobus vocabulis notionem exprimere statuam unam, quae respondeat superiori (v. 9.): ‚ad iuvenem'; sicut enim locupletes ac potentes venire dicit ad oratorem pauperem, ita haud inepte ad iuvenem dicere potest venire senes. Atque quam Doederlinus voci senex tribuit vis, cum disertis verbis in sequentibus: ‚et totius orbis gratia subnixos' in sententiam inferatur, vitata Charybdi in Scyllam incidimus, quia inter ‚veteres' et ‚senes' ostendentes discrimen inter ‚senes' (h. e. homines senectute venerandos) et ‚gratia subnixos' sustulimus.

Qua data occasione reliquos locos, ubi ‚vetus' cum simili adiectivo coniunctum invenitur, hic oculis subiciam:

dial. 15, 1. *non desinis, vetera et antiqua mirari*· 16, 36 *quem vos veterem et antiquum fingitis.* (cf. Plin.

---

[1]) Lateinische Synonyme und Etymologieen. Leipzig 1827. vol. IV p. 89.

Pan. 11, 4 *veteres et antiquos aemularis.* Plaut. Pers. I 2, 1. *veterem et antiquum quaestum.* Cic. Phil. V, 17, 47. *maiores nostri, veteres illi, admodum antiqui.* Plin. Pan. 12. *ducem ex illis veteribus et priscis.* Vell. I, 16 *priscam et veterem tragoediam.*

Neque praetermittam, non aliter ac vetus contrarium eius cum simili adiectivo copulari: dial. 6, 27 *novam et recentem curam* 8, 3. *libentius novis et recentibus, quam remotis et oblitteratis exemplis utor.* H. IV 65 *nova et recentia iura.* (cf. Cic. p. Flacc. 6: *lege hac recenti ac nova.* Liv. 35, 10. *in Quinctio nova ac recentia omnia ad gratiam erant.)* Postremo huc refero dial. 7, 16: *non solum apud negotiosos et rebus intentos, sed etiam apud iuvenes et adolescentes,* ubi Andresenus (itemque plurimi editores: Orelli, Ritter, Halm, Peter), ut esset, quod antecedentibus ‚apud negotiosos et rebus intentos' opponeretur, ‚iuvenes' in ‚vacuos' (cod. Leidensem secutus) mutavit. Verum ‚iuvenes et adolescentes' satis apte opponuntur ‚negotiosis et rebus intentis', modo consideremus, eandem fere his verbis inesse notionem atque: homines aetate provecti, qui iam intentioribus animis res suas agant quam iuvenes et adolescentes. Neque omittendum est, reposito ‚vacuos' tolli aequabilitatem, qua nominibus synonymis ‚negotiosos et rebus intentos' respondent duo synonyma: ‚iuvenes et adolescentes'. Quam ob rem in tradita plurimorum librorum lectione perstandum esse iudico.

Sed iam redeamus ad propositum, unde vereor ne paullo longius digressi simus: occurrunt dial. 8, 9. *numen et caelestis vis* 8, 14 *sordidius et abiectius.* 9, 18 *excudit et elucubravit.* 9, 29 *miram et eximiam liberalitatem.* 9, 34 *elaborare et efficere* (cf. 11, 8 *efficere et eniti,* ubi singularis vis verbi posterioris notanda est, qua notione nullo alio loco apud Tacitum hoc verbum inveni; neque ex ceteris scriptoribus praeter unum Ciceronis locum (div. in Caec. 8, 26 *in quo ego quid eniti aut quid efficere possim malo in aliorum spe relinquere quam in oratione mea ponere*) indagare potui,

qui cum hoc comparandi essent). 11, 13 *notitiae ac nominis* (cf. 36, 21). 12, 6 *loca pura et innocentia.* 12, 15 *poetis et vatibus.* 14, 1 *concitatus et instinctus.* 17, 34 *coniungere et copulare* (cf. Cic. de or. 1, 51, 222: *an haec inter se iungi copularique possint.* or. 154: *copulando verba iungebant.* Plin. ep. VIII 20, 6 *interdum iunctae copulataeque sunt aquae*). 18, 6 *horridi et impoliti et rudes et informes* (cf. G. 45 *sucinum . . rude legitur, informe perfertur*). 19, 7 *iudicio et intellectu.* 19, 27 *iudices, qui vi et potestate, non iure aut legibus cognoscunt* (cf. G. 42 *vis et potentia.* H. II, 39. III, 11. Caes. b. g. VI, 14). 22, 17 *firmus et duraturus paries.* 22, 27 *tarda et inerti structura.* 23, 30 *malignitas et invidia* 25, 33 *non malignitate nec invidia.* 25, 31 *et invidere et livere solitos.* Agr. 41 *malignitate et livore* (cf. Sen. de ira III, 5, 8 *ira vincit malignitatem et invidiam.* Suet. Cal. 34: *non minore livore atque malignitate . . grassatus est*). H. I 1 *obtrectatio et livor.* II 99 *odiorum invidiaeque admonebatur.* A. III 10: *odium et invidiam apud multos valere* (or.)[1]) H. I 65 *aemulatio et invidia.* II 21 *invidia et aemulatione.* II 101 *aemulatione invidiaque.* III 65 *invidia et aemulatione.* In annalibus talia non iam obveniunt; cf, A. XIII 42 '*Senecam . . livere eis* (non addito synonymo). Quid autem intercedat discriminis inter has voces, optime apparebit ex Plin. pan. 84: *aemulatio nascitur ex coniunctione, alitur aequalitate, exardescit invidia, cuius finis est odium.* — 26, 2 *optimo et perfectissimo genere eloquentiae* (cf. 34, 22: *optimus et electissimus*), 28, 19 *probatis spectatisque.* 29, 11 *propria ac peculiaria vitia* (Suet. Aug. 5. *quasi proprio suo ac peculiari deo.* Plin. pan. 2. *optimi cognomen . . peculiare huius et proprium*). 29, 14 *occupatus et obsessus animus.* 30, 23 *rerum motus causasque cognoverat* (similiter causa cum altero vocabulo eiusdem fere notionis coniungitur Ag. 10 *causa ac materia.* G. 9 *causa et origo.* H. I 51. II 1. *initia causasque.*

---

[1]) Exempla hoc siglo (or.) notata petita sunt ex orationibus a Tacito fictis.

II 35 *causam auctoremque.* II 52 *causam et initium.* IV 48 *ab initio causisque.* A. IV 1 *initium et causa* (cf. A. I 27 *causam discordiae et initium armorum*). — 30, 25 *exundat et exuberat.* 32, 7 *eminet et excellit.* 32, 17 *foeda et pudenda vitia.* 32, 24 *circumcisa et amputata.* 32, 27 *primam et praecipuam causam.* 32, 34 *causae magnae et graves.* 33, 19 *institui erudirique.* 36, 39 *conspicuum et eminentem locum.* 37, 27 *claram et illustrem orationem.* 37, 37 *turbidis et inquietis temporibus* (cuius contrarium habemus 13, 4 *securus et quietus*; 10, 42 *quietis et securitatis;* neque lubens hinc removerim 38, 21 *longa quies et continuum otium et assidua tranquillitas*, ubi data occasione hoc velim monere, haec verba Tacitum identidem coniungere: Ag. 6 *quiete et otio* (cf, 21). Ag. 40 *tranquillitatem atque otium.* 42 *quietem et otium.* G. 14. H. II 67 *pace et otio.* H. IV 1 *pax et quies.* G. 40 *pax et quies tunc tantum immota, tunc tantum amata.* Quibus plane similia affero ex Cic. de or. I, 1 *locus quietis et tranquillitatis plenissimus.* ad Att. VII 7 *tranquillo animo et quieto frui.* de fin. I, 21 *tranquilla, quieta, beata vita.* Liv. XXVII 12: *quietius tranquilliusque bellare.* Vell. Pat. II 103 *spes quietis, pacis, tranquillitatis.* II 6 *Gracchus . . nihil tranquillum, nihil quietum . . relinquebat.*) 39, 27 *excitare et incendere.* 40, 10 *magna ac notabilis* (cf. Ag. 1 *magna ac nobilis virtus*). 41, 27 *modus et temperamentum.* 40, 22 *donec se discordiis et dissensionibus confecit.*

Atque haec quidem synonyma composui, quippe quae ita sint comparata, ut si quis severius agere velit, indagare possit differentiam inter eorum notiones, vel gradationem quandam sententiae eis effici dicat. Verum etiamsi pusillas istas significationum varietates, quae nostris auribus interdum vix percipi possunt, omnibus quos modo laudavi locis a scriptore servatas esse ponamus, tamen orationem tali modo auctam illustratamque brevem vocare non poterimus. An forte brevitatem ibi latere existimamus, quod scriptor

varietatem illam uno verbo significavit nec pluribus explicavit?

Sed iam convertamus animum ad eos locos, ubi nescio an nihil intercedat discriminis inter voces similes. Quid enim interest, si non verba singula, sed sententiam totam respicimus, inter: 7, 9 *tueri* et *defendere* (cf. G. 14 *principem tueri, defendere praecipuum sacramentum.* Cic. de or. I, 38, 172 *armis prudentiae causas tueri atque defendere.* Caes. B. C. III 94: *tuemini castra atque defendite*), quid inter 8, 15: *paupertatem* et *angustias rerum?* quomodo differunt: fama, laus, gloria 7, 13: *fama et laus cuius artis cum oratorum gloria comparari potest?* (cf. 18, 2 *fama gloriaque* 26, 12; 41, 27. H. IV, 14 *laus et gloria*).

Porro 9, 27: *in nemora et lucos, id est in solitudinem, secedendum est*: nonne hic scriptor ipse extremis verbis distincte ostendit, priores voces neglecta earum varietate ita esse intellegendas, ut significarent loca arboribus densa nec hominibus frequentata? Neque ibi solum haec synonyma reperiuntur, etiam 12, 1 extat: *nemora et luci et secretum ipsum.* G. 9 *lucos ac nemora consecrant.* G. 10 *equi publice aluntur isdem nemoribus ac lucis.* G. 45 *fecundiora nemora lucosque . . occidentis insulis terrisque inesse crediderim.* (Reliquis in libris haec verba non iam coniunguntur.) Neque vero ignoro, per se non idem significare has voces, sed lucum et esse partem nemoris (sic Cato ap. Prisc. XIV p. 629 *‚lucum Dianium in nemore Aricino . . dedicavit‘*, sic Sen. Herc. Oet. 9, 56: *Quaecumque fidae coniuges nemoris sacri Lucos tenetis*) et magis involvere sanctitatis notionem (Tib. III, 3, 15 *Quid prosunt . . nemora in domibus sacros imitantia lucos*); sed cum non omnibus locis voci ‚lucus‘ haec vis necessario tribuatur (cf. H. II 42 *ferocissimos auxiliarium imminentibus viae lucis occultos componit.* Calpurn. eclg. V, 62: *verum ubi declivi iam nona tepescere sole Incipiet seraeque videbitur hora merendae, Rursus pasce greges et opacos desere lucos*), saepius illa duo vocabula copulantur pro notione una: Prop. IV, 9, 24; Verg. eclg. VIII 86 *per nemora atque altos*

*tea vacuum id* (sc. imperatorem appellare) *solutumque poena fuerat.* XV 10 *in diversa ac deteriora transibat.* 24 *se priora et totiens iactata nunc omittere* 28 *non infensum nec cum hostili odio Corbulonis nomen . . habebatur.* XVI 18 *dicta factaque eius quanto solutiora et quandam sui neglegentiam praeferentia.* 22. *assiduum olim et indefessum.*

Jam restant nonnulla exempla, in annalium libris conspicua, ubi similiter atque supra id, quod adicitur, abunde adici arbitror. An scriptorem brevitatis studiosum exspectamus scribere I, 18 *detrita tegmina et nudum corpus exprobrantes.* 61 *ubi infelici dextra et suo ictu mortem invenerit.* II 25 *invictos et nullis casibus superabiles Romanos praedicabant?* — At augetur sententia et amplificatur illis additamentis: illustratur adiecto ‚nudum corpus' id, quod prius extat ‚detrita tegmina', ut hic fere evadat sensus: adeo detrita tegmina, ut corpus iam denudaretur. Licet hoc loco tali interpretatione tueamur verborum significationes, in ceteris ne hac quidem arte bene uti poterimus. Porro illustraturne (ne dicam expletur) sententia, si Tiberius II 83, ubi agitur de clipeo Germanico inter auctores eloquentiae dicando *solitum paremque ceteris* se dicaturum promittit? Abunde additur ‚paremque ceteris', nam clipeus impar ceteris non iam est ‚solitus'.

Itemque redundat III, 8. *vitato omni secreto,* cum proxime praecedat *palam;* (paullo aliter res se habet II 35 *palam et sub oculis Caesaris,* quia quae palam fiunt, non ideo in conspectu Caesaris fieri necesse est.) Quid vero iudicabimus IV 49 *contrahere claustra artaque circumdare?* nonne alterum in altero latet? num maius aut omnino aliud est, vitae manifestum, aliud, spirantem esse, quae Tacitus coniunxit XII 51: *Zenobiam placida in eluvie spirantem ac vitae manifestam advertere pastores?* Quin ne dubitavit quidem, notioni fortiori multo leviorem adiungere XII 57: *convulsis* (aquarum vi) *ulterioribus aut fragore et sonitu exterritis.*

Ac licet nobis etiam longius progredientibus hac in via, cum congesserimus exempla, ubi vox aliqua in proxime subsequentibus certius definiebatur, sive apta erat illa de-

finitio sive superflua, eos quoque locos conferre, ubi plena enunciata aut singulis vocibus aut ipsis enunciatis adnectuntur.

Cuius generis e dialogo affero:

16,16: *interrogabo, quos vocetis antiquos, quam oratorum aetatem significatione ista determinetis.* 38, 4. *nemo intra paucissimas horas perorare cogebatur et liberae comperendinationes erant et modum dicendi sibi quisque sumebat.* 40, 22. *nostra civitas, donec erravit, donec se partibus et dissensionibus et discordiis confecit.*

Ac ne forte credas, tantum intra iuventutis spatium Tacitum sic esse locutum, hos velim intuearis Historiarum et Annalium locos:

H. I 62. *laetum augurium exercitui . . aquila . . praevolavit . ., ut haud dubium magnae et prosperae rei omen acciperetur.* I 80. *parvo initio, unde nihil timebatur, orta seditio* I 83. *diversis militum animis, cum optimus quisque remedium licentiae posceret, volgus et plures . . ad civile bellum impellerentur.* H. II 3. *artem haruspicum accitam et Cilicen Tamiram intulisse.* H. II 4. *laeta et congruentia exta et magnis consultis adnuere deam videt.* 22. *cum augeret stragem trepidatio eoque acrius e moenibus vulnerarentur.* 25. *cunctator natura et cui cauta potius consilia cum ratione quam prospera ex casu placerent.* 38. *subacto orbe et aemulis urbibus regibusque excisis.* III 2. *iuvabit sequi et vestigiis vincentis insistere.* 7. *vulgata victoria, post principia belli secundum Flavianos data*[1]. 10. *ubi crudescere seditio et a conviciis ac probris ad tela et manus transibant.* 42. *fidus Vitellio, cuius sacramentum cunctis circa hostilibus nondum exuerat.*

A. IV 46. *pati dilectus et validissimum quemque militiae nostrae dare aspernantur.* A. V 9. *vanescente plebis ira ac*

---

[1]) Haeserunt ibi Ernesti et Ritter: ille, quod vulgetur, aperte depravatum esse ratus, cum dubitare non liceat, quin verba: ‚post

*plerisque per priora supplicia lenitis.* XI 2. *corruptionem militum, quos pecunia et stupro in omne flagitium obstrictos arguebat.* XI 34. *aperiret ambages et veri copiam faceret; sed non ideo pervicit, quin suspensa et quo ducerentur inclinatura responderet.* XV 49. *quis primus auctor, cuius instinctu concitum sit, quod tam multi sumpserunt.* XV 54. *praemia perfidiae reputavit, simulque immensa pecunia et potentia obversabantur.* XV 56. *interrogantur, quisnam is sermo, qua de re fuisset.*

Ne longus sim, plura exempla promere nolo, cum genus ipsum eis, quae attuli, satis adumbrasse mihi videar. Apparet autem hic quoque idem scriptoris mos, quo sententiam supra sive una voce sive pleno enunciato expressam infra pluribus explicare studet; atque adiungit enunciata, illo consilio posita, (eodem fere modo, quo supra singulas voces additas esse invenimus) plerumque per ‚et‘ particulam; interdum relativis utitur pronominibus, (cf. H. III 42. A. XI 2.), perraro nullam adhibet coniunctionem. Neque in eo hi loci dissimiles sunt prioribus, quod nonnunquam aut explicantur, quae per se clarissima sunt, aut aucta verborum copia non augetur sententiae perspicuitas (cf. dial. 16. 36. H. II. 4.). Denique monendum est, eiusmodi locos per omnes fere libros pariter deprehendi neque aut copiam eorum aut gravitatem abundantiarum pedetemtim sic immutari, ut ista mutatio certis numeris circumscribi possit.

Atque his quidem cum peracta sit haec disputationis

---

principia belli secundum Flavianos' commode abesse possint, imo supervacua sint, ad ea delenda pronus videtur esse (aperte enim non profitetur); hic eadem ratiocinatione ductus audacius agens illa verba expellere non dubitavit. Quod ipse probare nequeo, neque, etiamsi abundarent verba, ideo eicienda essent. Sed re vera novam afferunt sententiam, quae, etsi non prorsus necessaria, est tamen e more Taciti, quo sententiam paucis adumbratam in sequentibus auctam aut certius circumscriptam repetere solet.

pars, priusquam ad proximum caput progrediamur, paucis disserendum est de tribus locis, qui, prout quemque eorum intellegimus aut scribimus, hoc in numero aut habebuntur aut non habebuntur.

Ex quibus primum nomino A. XIV, 10, ubi Nero de Agrippinae nece cum alia tum haec ad senatum scribit: ‚*luisse eam poenam conscientia, qua scelus paravisset.* Ita haec verba in libris traduntur, itaque Draegerus ea intellegit: ‚weil sie sich der Schuld (sc. filio insidias struxisse) bewusst gewesen, habe sie ihr Verbrechen selbst gesühnt'; qua interpretatione nec sententiae nec verbis vis infertur, ac deprehendimus eandem ac supra consuetudinem, cum vox ‚conscientia' sequenti enunciato certius definiatur. Nipperdeius autem, ne quis ‚poenam' cum ‚eam' coniungeret veritus, ‚poenas' scribit atque infra pro ‚qua' ‚quas' ponit. Qualem coniecturam satis facilem esse aptamque et ipsam efficere sententiam ut negari non quit, ita necessariam esse haud facile ostendetur; adde quod ‚poen a m' de una nece melius dicitur quam ‚poen a s'. Eademque de causa etiam Halmii commentum ‚poenas conscientia q u a s i' scribentis, improbaverim; atque insuper ‚quasi' pro ‚quod' positum (sic enim ipse interpretatur) me offendit, quia dubito, num haec vocis ‚quasi' significatio cum apud alios scriptores tum apud Tacitum certis testimoniis firmari possit.

Standum igitur esse iudico in librorum lectione et hoc in loco et A. XIII 34: *Armenii ambigua fide utraque* (sc. Romanorum et Parthorum) *arma invitabant, situ terrarum, similitudine morum Parthis propiores connubiisque permixti ac libertate ignota illuc magis, ad servitium, inclinantes.* Ibi Nipperdeius, Lipsium secutus, ponit ‚i l l u d (i. e. Parthorum) magis ad servitium inclinantes', quia traditum ‚illuc', quod sequenti ‚ad servitium' illustretur, pravam putat reddere sententiam; perverse enim dici hominem libertatis ignarum m a g i s inclinare ad servitium, cum ad libertatem inclinare omnino non possit. Quod licet recte moneatur, tamen dubito, num Tacitus voluerit mente cogitari ‚quam ad n o s t r u m ser-

vitium' (quod ex Nipperdei coniectura fingere cogimur); neque enim subditorum conditionem servitium a Romanis appellari arbitror. Ipse quod traditur ita servari posse iudico, ut ,ad servitium' non tam explicare dicatur vocem ,illuc' quam apponi sensu concessivo, ut haec evadat sententia: illuc, etsi ad servitium, magis inclinant (sc. quam ad nos, ubi liberius agerent); atque quo magis emineat haec notio, verba ,ad servitium' virgulis inclusi. Quae interpretatio si non est probanda, libentius Nipperdei inventum amplector quam Halmii: ,illuc magis ut ad servitium'.

Postremo in disputationem vocandus est locus, qui extat A. IV, 3: *ceterum plena Caesarum domus, iuvenis filius, nepotes adulti moram cupitis* (sc. Seiani) *adferebant; et quia vi tot simul corripere intutum, dolus intervalla scelerum poscebat,* ubi enunciato per ,et' adiuncto sententiam, quae praecedit, explicari puto; (neque aliter nexum sententiarum intellegit Spitta l. l. p. 20/21). Nipperdeius contra deleto ,et' atque ante ,dolus' animo cogitans ,quia' utraque sententia causam afferri statuit, cur Seiani cupita tardata sint. Haec enim sunt eius verba: ,wollte er mit Gewalt verfahren, so musste er über alle Mitglieder des Kaiserhauses zugleich herfallen (deshalb wird *vi tot simul corripere* gleich zusammengefasst, weil es die Möglichkeit *vi singulos diversis temporibus corripere* nicht gab); dies war aber eben wegen ihrer Menge unsicher, und er musste also, wählte er diesen Weg, warten, bis sich eine Gelegenheit bot, wo es sicher geschehen konnte'. Sed subdere mihi nonnihil videtur vir doctus Taciti verbis, cum dicit: ,er musste warten', quasi Tacitus scripsisset: ,vi tot simul corripere tum quidem intutum', cuius notionis nec vola est nec vestigium. Imo scriptor de certo quodam tempore adeo non videtur cogitare, ut omni tempore propter multitudinem vi uti intutum fuisse profiteatur. Quod si recte moneo, hac sententia non potest latere altera causa morae Seiano allatae, et hic evadit nexus: e duabus, quae Seiano patebant, viis altera (vis) intuta, altera (dolus) longinqua erat; itaque tardabantur eius consilia,

quia cum vi propter frequentiam domus Caesareae grassari non posset, dolo ei utendum erat. Apteque pergit scriptor: ‚placuit tamen' (sc. quamquam moram attulit) ‚occultior via'; quare iniuria Halmium dubitare existimo, an pro ‚tamen' ‚tandem' genuinum habendum sit. Itaque ne hic quidem quidquam mutandum esse arbitror.

---

## Caput II.

Alterius quod statui generis, ubi synonyma quae vocantur aut bina aut etiam plura componuntur, multo largiora inveniuntur exempla; neque hoc ita mirandum, quoniam et natura sermonis latini hanc ubertatem quodammodo exposcit et consuetudo fere aequabilis scriptorum omnium hunc morem retinuit.

Sed non omnibus locis, ubi synonyma copulantur, eadem cernitur abundantia: ea enim verba similia, quorum alterum alterius significationem aut illustrat aut restringit, vel, ut breviter dicam, alterius notioni aliquid addit, non eadem ratione composita esse apparet atque ea, ubi nihil fere discriminis inter singulas notiones deprehenditur; quare recte Boetticher ‚multa', inquit, ‚abundarent in stilo Taciti, si idem plane significarent synonyma, quae vulgo dicuntur'. [1])

Verum intricatissima est haec quaestio ac plerumque non tam certis rationibus quam solo legentis arbitrio expedienda, quia synonyma, quae alio loco non plane idem significant, alio notionem videntur exprimere unam. Quae cum ita sint, ut quisque sententiam totam intelleget, ita synony-

---

[1]) Lexic. Tac. p. LXLI.

morum congestum aut perspicuitati aut elegantiae orationis inservire iudicabit, vel hic servata utriusque significatione propria alterum altero illustrari et explicari, illic paene nulla notionum diversitate nullo sententiae (non dico orationis) detrimento alterutrum abesse posse statuet. Atque posterius quidem genus optimo iure abundans, prius copiosum dixeris. Neque enim Boetttichero, brevitatis Tacitinae propugnatori impigerrimo, libens concesserim,[1]) ea quoque, quae, cum copiam quandam verborum prae se ferant, contra brevitatis legem repugnare videantur, re vera vim alacritatemque orationis ita augere, ut ipsa quoque inter brachylogiae exempla referri possint. Mira profecto est brachylogia, quae sententiam pluribus augeri et amplificari patitur.

Itaque bipertita de his locis quaestione instituta prius eos tractabo, ubi notio altera addita simili aut certius definitur aut plenius explicatur, deinde ad eos me convertam, ubi similia non iam copiose, sed abundanter coniunguntur[2]).

Atque in dialogo quidem prioris quod dixi generis haec indagavi exempla:

1, 5. *memoria et recordatione* (cf. Cic. Lael. 27, 103: *quarum rerum recordatio et memoria, si una cum illo occidisset.* — prov. cons. 18, 43: *ultimi temporis recordatione et proximi memoria.*) 4, 2 *frequens et assidua contentio.* 4, 3. *agitare et insequi.* 5, 26 *metum et terrorem ultro ferat.* (cf. Cic. Verr. IV 19, 41: *metum ac timorem.*) 4, 28 *perpetua potentia ac potestate munitus.* 5, 29 *aliorum perfugio et tutela.* 6, 5. *libero et ingenuo animo* 6, 6 *plenam et frequentem domum* 6, 14 *homines veteres ac senes.* (quod ad hunc locum

[1]) l. l. p. LXL.

[2]) Rothii libellus, qui inscribitur: Taciti synonyma et per ἓν διὰ δυοῖν dicta, Norimbg. 1826 mihi praesto non fuit; itaque si qua iam ab hoc prolata eodem modo posui, venia mihi petenda est, et si qua ab hoc iustioribus rationibus tractata ipse minus probabilibus persecutus sum, magnopere doleo, quod eius doctrina spectabili mihi uti non licuit.

adnotat Andresenus: veteres sind Leute, die ein reiches, senes die ein langes Leben hinter sich haben, argutius quam verius positum esse mihi videtur, vellem certe allatis exemplis hanc notionum diversitatem firmasset. Neque maiorem probabilitatem tribuere possum Peteri invento, qui hominem veterem homini novo, qui proprie dicitur, opponi censet; atqui ipse hanc vocis ‚vetus' significationem aliunde illustrari non posse fatetur. Quam cum poneret, ea ratiocinatione ductus est, qua vocabulo ‚vetus', ubi aetatem exprimat, (raro autem ita obvenit,) senectutem annis iam confectam significari arbitratur; quasi voce ‚senex', quam non tollit, non eadem notio in sententiam inferri possit. Sed vereor, ut minus difficulter haec illius vocis vis ex scriptorum usu comprobanda sit quam altera, quam ei obtrudere vult. Itaque, si quid interesse volumus inter haec vocabula, ea definitione acquiescamus, quam Doederlinus[1]) protulit, ut vetus homo sit, qui diu vixit, senex, qui ob longam aetatem venerabilis est.

Quamquam fateor, me proniorem esse in eam sententiam, ut Tacitum his duobus vocabulis notionem exprimere statuam unam, quae respondeat superiori (v. 9.): ‚ad iuvenem'; sicut enim locupletes ac potentes venire dicit ad oratorem pauperem, ita haud inepte ad iuvenem dicere potest venire senes. Atque quam Doederlinus voci senex tribuit vis, cum disertis verbis in sequentibus: ‚et totius orbis gratia subnixos' in sententiam inferatur, vitata Charybdi in Scyllam incidimus, quia inter ‚veteres' et ‚senes' ostendentes discrimen inter ‚senes' (h. e. homines senectute venerandos) et ‚gratia subnixos' sustulimus.

Qua data occasione reliquos locos, ubi ‚vetus' cum simili adiectivo coniunctum invenitur, hic oculis subiciam:

dial. 15, 1. *non desinis, vetera et antiqua mirari*· 16, 36 *quem vos veterem et antiquum fingitis.* (cf. Plin.

---

[1]) Lateinische Synonyme und Etymologieen. Leipzig 1827. vol. IV p. 89.

Pan. 11, 4 *veteres et antiquos aemularis*. Plaut. Pers. I 2, 1. *veterem et antiquum quaestum*. Cic. Phil. V, 17, 47. *maiores nostri, veteres illi, admodum antiqui*. Plin. Pan. 12. *ducem ex illis veteribus et priscis*. Vell. I, 16 *priscam et veterem tragoediam*.

Neque praetermittam, non aliter ac vetus contrarium eius cum simili adiectivo copulari: dial. 6, 27 *novam et recentem curam* 8, 3. *libentius novis et recentibus, quam remotis et oblitteratis exemplis utor*. H. IV 65 *nova et recentia iura*. (cf. Cic. p. Flacc. 6: *lege hac recenti ac nova*. Liv. 35, 10. *in Quinctio nova ac recentia omnia ad gratiam erant.*) Postremo huc refero dial. 7, 16: *non solum apud negotiosos et rebus intentos, sed etiam apud iuvenes et adolescentes*, ubi Andresenus (itemque plurimi editores: Orelli, Ritter, Halm, Peter), ut esset, quod antecedentibus ‚apud negotiosos et rebus intentos' opponeretur, ‚iuvenes' in ‚vacuos' (cod. Leidensem secutus) mutavit. Verum ‚iuvenes et adolescentes' satis apte opponuntur ‚negotiosis et rebus intentis', modo consideremus, eandem fere his verbis inesse notionem atque: homines aetate provecti, qui iam intentioribus animis res suas agant quam iuvenes et adolescentes. Neque omittendum est, reposito ‚vacuos' tolli aequabilitatem, qua nominibus synonymis ‚negotiosos et rebus intentos' respondent duo synonyma: ‚iuvenes et adolescentes'. Quam ob rem in tradita plurimorum librorum lectione perstandum esse iudico.

Sed iam redeamus ad propositum, unde vereor ne paullo longius digressi simus: occurrunt dial. 8, 9. *numen et caelestis vis* 8, 14 *sordidius et abiectius*. 9, 18 *excudit et elucubravit*. 9, 29 *miram et eximiam liberalitatem*. 9, 34 *elaborare et efficere* (cf. 11, 8 *efficere et eniti*, ubi singularis vis verbi posterioris notanda est, qua notione nullo alio loco apud Tacitum hoc verbum inveni; neque ex ceteris scriptoribus praeter unum Ciceronis locum (div. in Caec. 8, 26 *in quo ego quid eniti aut quid efficere possim malo in aliorum spe relinquere quam in oratione mea ponere*) indagare potui,

qui cum hoc comparandi essent). 11, 13 *notitiae ac nominis* (cf. 36, 21). 12, 6 *loca pura et innocentia.* 12, 15 *poetis et vatibus.* 14, 1 *concitatus et instinctus.* 17, 34 *coniungere et copulare* (cf. Cic. de or. 1, 51, 222: *an haec inter se iungi copularique possint.* or. 154: *copulando verba iungebant.* Plin. ep. VIII 20, 6 *interdum iunctae copulataeque sunt aquae*). 18, 6 *horridi et impoliti et rudes et informes* (cf. G. 45 *sucinum . . rude legitur, informe perfertur*). 19, 7 *iudicio et intellectu.* 19, 27 *iudices, qui vi et potestate, non iure aut legibus cognoscunt* (cf. G. 42 *vis et potentia.* H. II, 39. III, 11. Caes. b. g. VI, 14). 22, 17 *firmus et duraturus paries.* 22, 27 *tarda et inerti structura.* 23, 30 *malignitas et invidia* 25, 33 *non malignitate nec invidia.* 25, 31 *et invidere et livere solitos.* Agr. 41 *malignitate et livore* (cf. Sen. de ira III, 5, 8 *ira vincit malignitatem et invidiam.* Suet. Cal. 34: *non minore livore atque malignitate . . grassatus est*). H. I 1 *obtrectatio et livor.* II 99 *odiorum invidiaeque admonebatur.* A. III 10: *odium et invidiam apud multos valere* (or.)[1] H. I 65 *aemulatio et invidia.* II 21 *invidia et aemulatione.* II 101 *aemulatione invidiaque.* III 65 *invidia et aemulatione.* In annalibus talia non iam obveniunt; cf, A. XIII 42 '*Senecam . . livere eis* (non addito synonymo). Quid autem intercedat discriminis inter has voces, optime apparebit ex Plin. pan. 84: *aemulatio nascitur ex coniunctione, alitur aequalitate, exardescit invidia, cuius finis est odium.* — 26, 2 *optimo et perfectissimo genere eloquentiae* (cf. 34, 22: *optimus et electissimus*), 28, 19 *probatis spectatisque.* 29, 11 *propria ac peculiaria vitia* (Suet. Aug. 5. *quasi proprio suo ac peculiari deo.* Plin. pan. 2. *optimi cognomen . . peculiare huius et proprium*). 29, 14 *occupatus et obsessus animus.* 30, 23 *rerum motus causasque cognoverat* (similiter causa cum altero vocabulo eiusdem fere notionis coniungitur Ag. 10 *causa ac materia.* G. 9 *causa et origo.* H. I 51. II 1. *initia causasque.*

---

[1]) Exempla hoc siglo (or.) notata petita sunt ex orationibus a Tacito fictis.

II 35 *causam auctoremque.* II 52 *causam et initium.* IV 48 *ab initio causisque.* A. IV 1 *initium et causa* (cf. A. I 27 *causam discordiae et initium armorum*). — 30, 25 *exundat et exuberat.* 32, 7 *eminet et excellit.* 32, 17 *foeda et pudenda vitia.* 32, 24 *circumcisa et amputata.* 32, 27 *primam et praecipuam causam.* 32, 34 *causae magnae et graves.* 33, 19 *institui erudirique.* 36, 39 *conspicuum et eminentem locum.* 37, 27 *claram et illustrem orationem.* 37, 37 *turbidis et inquietis temporibus* (cuius contrarium habemus 13, 4 *securus et quietus*; 10, 42 *quietis et securitatis;* neque lubens hinc removerim 38, 21 *longa quies et continuum otium et assidua tranquillitas*, ubi data occasione hoc velim monere, haec verba Tacitum identidem coniungere: Ag. 6 *quiete et otio* (cf, 21). Ag. 40 *tranquillitatem atque otium.* 42 *quietem et otium.* G. 14. H. II 67 *pace et otio.* H. IV 1 *pax et quies.* G. 40 *pax et quies tunc tantum immota, tunc tantum amata.* Quibus plane similia affero ex Cic. de or. I, 1 *locus quietis et tranquillitatis plenissimus.* ad Att. VII 7 *tranquillo animo et quieto frui.* de fin. I, 21 *tranquilla, quieta, beata vita.* Liv. XXVII 12: *quietius tranquilliusque bellare.* Vell. Pat. II 103 *spes quietis, pacis, tranquillitatis.* II 6 *Gracchus . . nihil tranquillum, nihil quietum . . relinquebat.*) 39, 27 *excitare et incendere.* 40, 10 *magna ac notabilis* (cf. Ag. 1 *magna ac nobilis virtus*). 41, 27 *modus et temperamentum.* 40, 22 *donec se discordiis et dissensionibus confecit.*

Atque haec quidem synonyma composui, quippe quae ita sint comparata, ut si quis severius agere velit, indagare possit differentiam inter eorum notiones, vel gradationem quandam sententiae eis effici dicat. Verum etiamsi pusillas istas significationum varietates, quae nostris auribus interdum vix percipi possunt, omnibus quos modo laudavi locis a scriptore servatas esse ponamus, tamen orationem tali modo auctam illustratamque brevem vocare non poterimus. An forte brevitatem ibi latere existimamus, quod scriptor

varietatem illam uno verbo significavit nec pluribus explicavit?

Sed iam convertamus animum ad eos locos, ubi nescio an nihil intercedat discriminis inter voces similes. Quid enim interest, si non verba singula, sed sententiam totam respicimus, inter: 7, 9 *tueri* et *defendere* (cf. G. 14 *principem tueri, defendere praecipuum sacramentum.* Cic. de or. I, 38, 172 *armis prudentiae causas tueri atque defendere.* Caes. B. C. III 94: *tuemini castra atque defendite*), quid inter 8, 15: *paupertatem* et *angustias rerum?* quomodo differunt: fama, laus, gloria 7, 13: *fama et laus cuius artis cum oratorum gloria comparari potest?* (cf. 18, 2 *fama gloriaque* 26, 12; 41, 27. H. IV, 14 *laus et gloria*).

Porro 9, 27: *in nemora et lucos, id est in solitudinem, secedendum est*: nonne hic scriptor ipse extremis verbis distincte ostendit, priores voces neglecta earum varietate ita esse intellegendas, ut significarent loca arboribus densa nec hominibus frequentata? Neque ibi solum haec synonyma reperiuntur, etiam 12, 1 extat: *nemora et luci et secretum ipsum.* G. 9 *lucos ac nemora consecrant.* G. 10 *equi publice aluntur isdem nemoribus ac lucis.* G. 45 *fecundiora nemora lucosque . . occidentis insulis terrisque inesse crediderim.* (Reliquis in libris haec verba non iam coniunguntur.) Neque vero ignoro, per se non idem significare has voces, sed lucum et esse partem nemoris (sic Cato ap. Prisc. XIV p. 629 *‚lucum Dianium in nemore Aricino . . dedicavit‘*, sic Sen. Herc. Oet. 9, 56: *Quaecumque fidae coniuges nemoris sacri Lucos tenetis*) et magis involvere sanctitatis notionem (Tib. III, 3, 15 *Quid prosunt . . nemora in domibus sacros imitantia lucos*); sed cum non omnibus locis voci ‚lucus‘ haec vis necessario tribuatur (cf. H. II 42 *ferocissimos auxiliarium imminentibus viae lucis occultos componit.* Calpurn. eclg. V, 62: *verum ubi declivi iam nona tepescere sole Incipiet seraeque videbitur hora merendae, Rursus pasce greges et opacos desere lucos*), saepius illa duo vocabula copulantur pro notione una: Prop. IV, 9, 24; Verg. eclg. VIII 86 *per nemora atque altos*

*quaerendo bucula lucos.* Quod autem Doederlinus (l. l. II p. 90 sq.) G. 9 aut zeugma quod vocant, latere existimat: lucos habent et nemora consecrant, aut prolepsi quadam intellegendum esse censet: nemora consecrant, ut luci sint, prius sententiae parum respondere existimo, quae est: deos maiores esse rati quam quibus templa struerentur, in silvis nulla effigie venerantur partesque earum singulis consecrant. Ac ne alterum quidem necessarium esse putaverim, quia haud ita accurate semper servatam esse vidi illarum vocum differentiam.

Sed ut a deverticulis, in quae modo secessimus, ad rectum disputationis tramitem redeamus, nullo fere discrimine coniunguntur 10, 27: *(si tibi Nicostrati) vires ac robur (di dedissent)* [1]), neque alia res est 18, 8 *fortius et audentius.* 18, 23 *inflatus et tumens.* 22, 21 *visum et oculos.* 26, 34 *non laudare ausus est nisi in publicum et in commune.* 30, 27 *angustis et brevibus finibus.* 33, 28 *instructum et plenum his artibus anmium.* 30, 34 *sectari et prosequi.* 34, 37 *solus et unus.* 36, 39 *mutum et elinguem.* 37, 44 *altior et excelsior.* 39, 9 *liberi et soluti.*

Quid quod non dubitavit scriptor voci fortiori postponere alteram, cuius vis ex parte tantum alteram aequat: 13, 21 *sollicitudinibus et curis* (cf. Plin. ep. II 11 *Caesar mihi tantam curam — nimium est enim dicere sollicitudinem — praestitit.* pan. 41, 1 *feres curam et sollicitudinem consularem.*) 27, 3 *fracta et deminuta eloquentia.*

Huic exemplorum numero aliquanto minor accedit ex Agricola, ubi extat: Ag. 1 *vicit ac supergressa est virtus* (quamquam aliter de hoc loco Peerlkampum vidi iudicare, qui, quoniam ea tantum, quae supergressi simus, vincere

---

[1]) Contra H. I 87 II 11 Wölfflinum (phil. XXV, 133) recte puto monuisse, horum verborum notiones iam distinctius segregari, ita ut vires significet: numerische Stärke, robur: moralischer Halt.

[2]) Quorum nonnulla composuit V. D. Huebnerus in Hermae vol. I p. 446.

possimus, ‚supergressa vicit' solum dici posse profitetur. Sed dubito, an ita verba intellegenda sint, ut virtus vitium victum et quasi humi prostratum supergredi putetur; quam in sententiam Wexium quoque disputare haud invitus cognovi.) ibid. *agere digna memoratu pronum magisque in aperto erat*; (atque etiam his de verbis cum eodem homine docto mihi certandum est: is enim ‚pronum' in ‚promptum' mutavit, quia observasse sibi videtur, Tacitum adiectiva idem fere significantia non coniungere nisi eadem metaphora in utroque conspiceretur. Quam opinionem ut haud falsam esse concedendum est, ita dubito num hoc loco legem illam violatam esse demonstrari possit. Pronum enim significat id, ad quod quis sine labore aut ascendere aut de quo descendere potest; itemque in aperto facilius progredimur quam in locis aviis et deruptis. Eadem igitur translatione, servata progredientis imagine, duo verba ad eam notionem coniungi videntur, qua significent, haud ita impeditam fuisse ad res memorabiles viam. Sic si recte illorum sensum percipimus, non iam est, cur alterum mutemus.)[1]) Ag. 3 *incondita ac rudi voce* (cf. A. XII 35 *rudes et informes saxorum compages*). ibid. *bonam integramque naturam* — *sublime et erectum ingenium* — *magnae excelsaeque gloriae.* 10 *immensum et enorme spatium* — *vasto atque aperto mari* (cf. Caes. b. g. III, 9 *longe aliam esse navigationem in concluso mari quam in vastissimo atque apertissimo Oceano.* III, 12 *in vastio et aperto mari*) 15. *ab ignavis et imbellibus* (redeunt haec nomina eodem modo copulata G. 12. 31, neque multum abhorret ab his locis, quod invenitur Ag. 34: *ignavorum et metuentium.*) 16 *indecorus atque humilis.* 19 *officiis et administrationibus.* 20 *praesidiis castellisque circumdatae.* 27 *cauti ac sapientes.* 28 *magnum et memorabile facinus* (cf. quae congessit Peerl-

---

[1]) Verba: *tam saeva et infesta virtutibus tempora* (cap. I.) hoc in numero non habeo, quia Tacitus duo ponere mihi videtur: Domitiani aetatem fuisse cum omnino saevissimam tum virtutibus infestissimam.

kampus: Ter. heaut. II 3, 73: *non fit sine periculo facinus magnum nec memorabile.* Verg. Aen. IV 94 *magnum et memorabile nomen.*) 29 *cruda ac viridis senectus* (cf. Verg. Aen. VI 304 *cruda deo viridisque senectus.*) 31 *virtus ac ferocia.* 32 *dissensionibus ac discordiis* (praeter hunc locum inveni nullum, ubi haec verba coniuncta recurrerent; sed alterutrum cum simili copulatum saepius obvenit: H. I 46 *ad seditiones et discordias ruebant.* I 84 *quid aliud quam seditionem et discordiam optabunt.* II 23 *seditionum ac discordiae incitamenta.* II 86 *discordiis et seditionibus potens.* A. VI 3 *discordiam et seditionem.* VI 16 *seditionum discordiarumque creberrima causa.* — H. I 2 *discors seditionibus.* — H. I 51 *quaerere rursum arma novasque discordias.* A I 27 *causam discordiae et initium armorum.* II 39 *discordiis armisque civilibus.* — H. IV 1 *turbas et discordias.* A. I 19 *per seditionem et turbas.* III 12 *seditiose et turbide tractare exercitus.*) — Agr. 33 *finem Britanniae non fama nec rumore, sed castris et armis tenemus* (cf. Caes. b. g. VI 20 *si quis de republica rumore ac fama acceperit.* Liv. XXII 39 *resistes adversus famam rumoresque hominum.*) 33 *pulchrum ac decorum.* 40 *viso aspectoque Agricola* (cf. Hygin. fab. 165 *se in aqua aspexit et vidit se merito irrisam.*) 46 *formam et figuram animi* (cf. Cic. fin. V 12, 35: *corporis nostri partes totaque figura et forma.* Plin. pan. 55, 11 *formam principis figuramque.*) 46 *inglorios et ignobiles*

Atque his quidem in locis sive scriptoris consilium sive nostrum secuti arbitrium ita possumus interpretari synonyma, ut servatis singulorum notionibus sententia evadat non solum rhetorice aucta et amplificata, sed etiam plenius explicata atque illustrata.

Sed intueamur hosce locos:

Ag. 4 *incensum ac flagrantem animum.* 12 (margarita) *in rubro mari viva ac spirantia saxis avelli.* 18 *clarus ac magnus haberi:* ecquis binas voces ibi requiri ostendet; an cuiquam novum videtur inferri in sententiam, si e. g. animus incensus insuper flagrans dicitur, quasi non per se liqueat,

quidquid incensum sit flagrare? Adde quod extat 31: *bona fortunaeque in tributum, ager atque annus in frumentum, corpora ipsa ac manus silvis ac paludibus emuniendis inter verbera ac contumelias conteruntur*[1]) (or.): excusatur sane hoc loco luxuries, quippe quae in oratione a scriptore ficta occurrat, sed est tamen luxuries dignaque quae notetur. Denique cap. 40 *sive verum istud sive ex ingenio principis fictum atque compositum est.* 44 *per intervalla ac spiramenta temporum.* 46 *narratus et traditus.*

Iam restat unum exemplum cap. 6: *idem praeturae tenor ac silentium'*, quod ab hac societate non abhorrere existimo, quia voces ,idem tenor' et ,silentium', licet diverse sonent, modo sententia tota respiciatur, significant idem. Postposui autem hunc locum ceteris, quia, si verba a recentiorum conaminibus defendere studemus, paullo diutius morandum est. Quod enim legimus ,tenor' Rhenanus correxit ex depravata librorum scriptura ,certior', neque apud quemquam editorum ante Peerlkampum aliam inveni lectionem. Hic autem, etsi illa emendatione loco satisfieri concedit, tamen, quod traditur, ,certior' retinens transpositis verbis aptiorem putat effici sententiam hancce: *gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia certior et pro sapientia erat. Idem praeturae silentium.* Quam viri docti coniecturam ipse minus probaverim: ac primum quidem ,certior', ut P. vult, eodem quo ,tutior' sensu dici posse allatis exemplis Vergilianis (Aen. III, 393 V, 349) nondum mihi persuasit; tum vero tolli existimo orationis aequabilitatem, si inter voces ,inertia' et ,sapientia', quae aptissime altera alteri respondent, ,certior' interponitur. — Quodsi quis quaerat, quo tandem modo ,tenor' in ,certior' depravatum esse putandum sit, inspecta Ritteri editione si non unice veram at tamen me iudice non plane spernendam inveniet rationem: hic enim scribam, cum ,teor' per compendium pro ,tenor' scriptum pro ,tior' acciperet, ut expleret vocem mancam, de suo syllabam ,cer-' prave

[1]) Ita enim hunc locum a Kritzio optime emendatum esse censeo.

addisse ponit. Itaque vulgata lectio mihi quidem haud improbanda esse videtur; verum, si quid mutandum esset, Peerlkampi emendationem longe praeferrem ei, quam nuperrime Kruegerus proposuit in Fleckeiseni annal. 1877 p. 788. Qui pone ‚idem tenor' languere ratus ‚silentium', quoniam verba ‚idem tenor' in hoc connexu non differrent a ‚quietus tenor', ‚torpor' pro ‚tenor' posuit. Quae coniectura neque literarum similitudine multum probatur, et, ubi Tacitus vocabulo torpor usus est, (H. II 77 et 99 cf. H. I 71. G. 46) non sine quadam reprehensione dictum est, quae reprehensio ab hoc loco alienissima est. Neque elucet, quid tandem proficiamus illa emendatione: manet enim vox ‚silentium' post ‚idem torpor' non minus languida quam post ‚idem tenor', manet (ne dicam augetur) abundantia, qua ad sententiam minime mancam: ‚idem (i. e. quietus) erat praeturae tenor (sive torpor)' praeter necessitatem adiungitur: ‚ac silentium', manet denique vocabulum non librorum auctoritate nisum, imo etiam difficilius quam alterum (tenor) ex literarum quae extant ductibus eruendum.

Atque haec quidem hactenus; iam ad Germaniam accedamus, ubi synonyma, quorum altero alterius notio paullulum immutatur aut illustratur, reperiuntur: G. 2: *memoriae et annalium,* ibid: *originem gentis conditoresque* (cf. H. I 84 *a parente et conditore urbis* (or.). G. 4: *laboris atque operum non eadem patientia* (haec verba si ita essent intellegenda, ut labor significaret laborem rusticum, opera contra ea, quae in bellis praestanda sunt, parum apte hoc in numero haberentur. Sed ex locis a Kritzio, huius interpretationis auctore, allatis (G. 26. 46. Sall. Cat. 37,7) hoc tantum elucet, non abesse illam notionem a voce laboris, sed non apparet, hoc loco eam illi voci inesse solam. Conferas velim H. V 12 *templum in modum arcis propriique muri, labore et opere ante alios.* H. III 11 *legiones non labore et opere fessae.* A. I 20 *vetus operis ac laboris.* A. XI 18 *legiones operum ac laboris ignavas.* En habes eadem vocabula eodem modo copulata, neque continget tibi, ut

uno alterove in loco laborem rusticum intellegendum esse cuiquam persuadeas. Quid ergo? num Tacitum in Germaniae libro aliam illis vocibus vim tribuisse statuemus atque in ceteris libris? Quae qualis sit habenda, dubito an satis enucleate ostendatur A. I 35, ubi milites seditiosi queruntur duritiam operum ac propriis nominibus incusant vallum, fossas, pabuli materiae lignorum adgestus; haec igitur fere operum voce comprehendi putabimus. Sed paullo infra veteranus miles ne in *isdem laboribus* mortem obeat expostulat neque quidquam aliud in animo habet nisi opera supra enumerata. Juvabit respicere etiam H. II 62 *degenerabat a labore ac virtute miles* H. III 69 *miles . . laboribus et vigiliis parum intentus* H. III 84 *quidquid tot proeliis laboris ac periculi hausissent.* Hinc duci me passus sum ad eam opinionem, ut Tacitum, ubi ista verba coniunxit, bellorum labores spectavisse censeam ac vocem operis eo addidisse consilio, ut notionem latius patentem paullo angustiore certius definiret.)

G. 10. *surculos . . temere et fortuito spargunt.* — *ibid: equorum quoque praesagia ac monitus experiri* (cf. H. I 3 *caelo terraque prodigia et fulminum monitus et futurorum praesagia.* A. XV 74. *ad auspicium et praesagium futurae ultionis trahebatur.)* — 11. *nisi quid fortuitum et subitum incidit* (quocum conferas dial. 10, 37 *dictionis fortuitae et subitae impetus.*) — 14: *infame ac probrosum.* — itidem: *pigrum et iners videtur* (cf. Sen. de ira III 3 *ira erepta inermem animum et ad conatus magnos pigrum inertemque fieri).* — 15: *fortissimus quisque ac bellicosissimus.* — 15. *delegata domus et penatium cura* (cf. 25 *suam quisque sedem, suos penates regit.* 32 *inter familiam et penates.)* — 16. *colunt discreti ac diversi.* — ibid: *abdita et defossa.* — 20. *sanctiorem artioremque hunc nexum sanguinis arbitrantur.* — 20. *heredes successoresque sui cuique liberi.* — 22. *gens non astuta nec callida.* — 24. *non in quaestum aut mercedem.* (cf. H. II 56. *Valens ob lucra et quaestus infamis.* — Cic. Verr. III 44, 106 *tantum de quaestu et lucro dicam.)* — 27. *lamenta*

*et lacrimas cito, dolorem et tristitiam tarde ponunt.* — 29. *sede finibusque in sua ripa, mente animoque nobiscum agunt.* (cf. 46. *sede ac domiciliis.)* — 34. *sanctius et reverentius visum* (cf. dial. 10, 16 *sacras et venerabiles*) — 35. *nullis raptibus aut latrociniis populantur* (recurrunt haec synonyma H. I 46 II 58. cf. A. II 52 *vagos primum et latrociniis suetos ad praedam et raptus congregare.* Neque vero desunt loci, ubi altera utra vox sola reperitur: H. IV 50. A. XII 27, 39. XIV 23. XV 1, 38[1]). — 36. *qui olim boni aequique vocati sunt.* — 39. *cetera subiecta atque parentia.*

Iam sequantur ea synonyma, inter quae paene nihil intercedit discriminis: 6. *apta et congruente ad equestrem pugnam velocitate.* — 7. *infinita aut libera potestas.* — 8. *acies inclinatas iam et labantes* (eadam luxurie, etsi aucta perspicuitate, res quae fiunt eaedemque factae copulantur 16 *connexis et cohaerentibus aedificiis* 22. *detecta et nuda omnium mens* H. IV 30 *suspensum et nutans machinamentum.* cf. supra dial. 18, 23 Ag. 4). — 24. *extremo ac novissimo iactu* (cf. Cic. de div. II 43, 91 *ad caelum ipsum, quod extremum atque ultimum mundi est.*) — 33. *maneat duretque gentibus .. odium sui.* — 39. *attolli et insurgere haud licitum* (cf. Caes. b. g. 27: (alces) *si quo adflictae casu conciderunt, erigere se aut sublevare non possunt.*) — 43. *dirimit scinditque Sueviam continuum montium iugum.*

Pertractatis igitur libris minoribus iam ad Historias accedamus; sed liceat quaeso, quoniam et temporis intervallo dirimuntur Historiarum libri a prioribus et argumentum ab his magnam partem diversum sibi proposuere, priusquam morem ibi servatum intueamur, quid iam eluceat discriminis inter scripta minora pervestigare. Atque quamquam numerorum rationibus non nimium tribuendum est, praesertim in

---

[1]) Aliud est, quod extat A. XII 54: *spoliaque et praedas ad procuratores referre;* idem fere significatur utraque voce, sed ita, ut prior ea complectatur, quibus gloriam et honorem assequi, posterior ea, quorum possessione gaudere ac frui aliquis possit. (cf. Doederl. l. l. IV. 337.)

hac quaestione, in qua quo quis aut severius aut liberius agit, eo plus aut minus abundantiae in scriptoris verbis persentiscere sibi videtur, et in qua, quamvis attendas, fieri potest ut unus alterve locus abundantia notabilis te fugiat, tamen aliam rei expediendae viam non dispiciens hanc secutus ex dialogo me altero tanto maiorem quam ex Agricola sumpsisse fateor exemplorum numerum, in Germania autem paullo (quarta fere parte) maiorem quam in Agricola synonymorum copiam me repperisse. Neque mira aut inexspectata cuiquam haec summa videbitur: nam dialogum orationis ubertate ceteris Taciti scriptis praestare inter omnes convenit. Quid quod hac ipsa de causa extitere, qui hunc libellum Taciti esse negarent? Quod autem qui tertius prodiit liber secundum superat hoc in genere, nescio casui an argumenti diversitati tribuam.

Jam vero aggrediamur ad Historiarum libros; ibi obveniunt nobis:

I 7 *imperatores forma ac decore corporis comparantes* — 15 *irrumpet adulatio, blanditiae* (or.) (cf. Cic. Lael. 25,91: *nullam in amicitiis pestem esse maiorem quam adulationem, blanditias, assentationem)* — 16 *si immensum imperii corpus stare ac librari posset* (or.) — 30 *transfugae et desertores* (or.) (intercedit enim aliquid discriminis inter has voces: ille relicta suorum acie ad hostes transit, hic proelio egressus et suos et hostes fugere studet. Sed vereor ne Tacitus haec aut similia verba saepius ita coniunxerit, ut nulla notionum dispiciatur varietas. Velut quod habemus H. I 72 *desertor ac proditor,* posterior vox gravior est, sed suam h. l. vim habere non quit: neque enim prodidit Tigellinus Neronem, nisi forte prodere eodem fere sensu accipiemus atque deserere. (Haud aliter Caes. b. g. VI 23 *in desertorum ac proditorum numero habentur.*) Neque audeo diiudicare, utrum certo consilio, i. e. suam utrique voci vim tribuens, an consuetudine quadam, qua tales notiones libens geminavit, Tacitus scripsisse putandus sit H. II 44 *desertorem proditoremque increpant* A. II 10 *gentis suae desertor et*

*proditor*.[1]) Gradationem autem effici verbis ita coniunctis negari non potest, neque unquam inverso ordine occurrunt, atque ubi priorem locum proditor tenet, notionem paullo fortiorem scriptor ei adiungit: A. XVI 28 *nisi proditorem palam et hostem Thrasea induisset.*)

Sed haec hactenus; pergamus in eo quod instituimus itinere: I 33 *ianua ac limine tenus* (or.) — 41 *feritate et saevitia* — 47 *convicia ac probra* (cf. H. II 52. III 10. A. XVI 26. IV 45: *cum contumeliis et probris.* Gravius autem esse probrum, elucet ex H. I 85 *providentissimus quisque vulgaribus conviciis, quidam vera probra iacere.* cf. Sen. const. 18. Sed ne credas, Tacitum has voces semper coniunxisse, inspicias velim H. II 21. A. VI 42. XII 47, ubi probrum extat solum; ‚convicium' sine altera voce non repperi.)

56. *concordia et pax* (cf. II 20. III 70. III 80. — In Annalibus haec verba coniuncta non iam inveni.) — 63. *furore et rabie.* — 66. *verba Fabii salutem incolumitatemque commendantis.* — 84. *ulline Italiae alumni . . . ad sanguinem et caedem depoposcerint ordinem* (or.) (cf. III 26 *omnisque caedes et vulnera et sanguis aviditate praedae pensabantur.* III 65 *abhorrere a sanguine et caedibus* III 83 *milite ad sanguinem et caedes obverso.*) — 84. *ordinem, cuius splendore et gloria sordes et obscuritatem Vitellianorum*

---

[1]) H. IV. 35 Heraeus Weissenbornii commentum amplexus sic scribit: *at qui remanserant, desertos proditosque se abducta parte legionum querebantur.* Interposuerunt autem hi viri docti ‚proditos', ne tolleretur particula *que* post ‚desertos' in libro mscr. extans. Sed parum certis adminiculis haec coniectura stare videtur, quippe quae ut ad explendam sententiam haud ita necessaria sit, ita solo *que* nitatur. Quam vocem retinere quam ut scribae errore ortam furca expellere si malumus, ubi aliquid excidisse concessimus, hiatum etiam alia ratione explere possumus ita, ut plenum enunciatum (si placet versum unum explens) omissum verbis ‚desertosque sq.' continuari statuamus. Quamquam hanc coniecturam nemini unquam probare cupio neque ut praestantiorem illa commendaverim, sed ieci, ut ostenderem, ex sola *que* voce defectum nec eo quo Weissenbornius voluit loco nec omnino certa ratione statui posse.

*praestringimus* (or.) — *ibid: muta ista et inanima* (or.) — 86. *sereno et immoto die.*

II 5. *Vespasianus . . veste habituque vix a gregario milite discrepans* (cf. Cic. Verr. IV 3 *Duo signa virginali habitu atque vestitu.* Liv XXIX 17. *praeter habitum vestitumque.* Suet. Calig. 52, *vestitu calceatuque ceteroque habitu.* Vestitus autem cum pars sit cultus (ut ait Wolfius in annot. ad A. I, 10), ex re esse puto, eos quoque locos hic collocare, ubi Tacitus habitum et cultum coniunxit: A. I 10 II 59. Quodsi ibidem Wolfius recte monet, habitum imprimis oris esse et vultus, nescio an iure ubertatem perspiciamus ibi ubi una alterave harum vocum illi addita est: H. I 14 *vultu habituque* cf. I 17. II 52. A. XVI 22. A. XIV 16 *ore vultuque tristi* cf. G. 46. Cic. Deiot. 2: *in tuis oculis, in tuo ore vultuque acquiesco.* Liv. II 5. 60. XXI 4. Plin. ep. II 13. V 16.) — 21. *aperti incautique muros subiere.* — ibid: *illi ut segnem et desidem militem, hi peregrinum et externum increpabant* (cf. Cic. de or. I 41, 185: *castigemus etiam segnitiem hominum atque inertiam,* de fin. I 2, 5. Suet. Galb. 9. Tibull I 1, 58: *tecum Dummodo sim, quaeso, segnis inersque vocer*) — 27. *corrupta iurgiis aut rixis disciplina* (cf. H. I, 64 *iurgia primum, mox rixa.* IV 72 *ne quis in certamine iurgiove . . commilitoni obiectaret.* Sen. de ira III 34 *quae pueros in rixam et iurgium concitant.* Juv. XV 51 *sed iurgia prima sonare Incipiunt animis ardentibus; haec tuba rixae.*) — 46. *fortes et strenuos etiam contra fortunam insistere spei, timidos et ignavos ad desperationem formidine properare.* — 52. *ita trepidi et utrimque anxii coeunt.* — 56. *Vitelliani spoliare, rapere, vi et stupris polluere.* — 68. *apud Vitellium omnia indisposita, temulenta, pervigiliis ac bacchanalibus quam disciplinae et castris propiora.* — 70. *foedum atque atrox spectaculum.* — 72. *luxu et saginae mancipatus emptusque.* — 76. *torpere ultra . . sopor et ignavia videretur.* — ibid: *si quid ardoris ac ferociae miles habuit,* (cf. I 62 *cum ardor et vis militum ultro ducis munia explebat* (or.). — 80. *plerique necessitudinibus et propinquitatibus mixti, et*

*militibus nota et familiaria castra.* — 86. *pro certis et olim partis nova, ambigua, ancipitia malebat* (cf. A. I, 11. *in incertum et ambiguum magis implicabatur.*) — 86. *movere et quatere . . aggrediuntur.* — 91. *quae grata sane et popularia, si a virtutibus proficiscerentur, memoria vitae prioris indecora et vilia accipiebantur.*

III 3 *ut cautos quoque ac providos permoveret.* (cf. Liv. XXV 34, 7 *Scipio dux cautus et providus.* XXIV 8, 13 *providendum ac praecavendum vobis est.* Cic. phil 12, 10, 25 *possumne videri satis cautus, satis providus?*) — 13. *quos . . fuderint straverintque.* — 22. *paratis iam dispositisque Flavianis.* — 23. *ut tela vacuo atque aperto excuterentur.* — 24. *principes auctoresque belli* (cf. Liv. XI. 50 *principes et auctores transcendendi Alpes.*) — 36: *ut ignava animalia . . iacent torpentque.* — ibid: *illum in nemore Aricino desidem et marcentem . . perculit.* — 38. *nota . . Junii Blaesi mors et famosa fuit.* — ibid: *maestam et funebrem noctem.* — 60. *victoriam consiliis et ratione perfici* (cf. III 20. *ratione et consilio, propriis ducis artibus*) — 63. *ad proelium intentus ornatusque* (cf. H. I 62 *instructi intentique signum profectionis exposcunt.* A. II 16 *intentus paratusque miles.* Sall. Cat. 27 *hortari, ut semper intenti paratique essent.* Jug. 49, 3 *proinde parati intentique essent.* 53, 5 *instructi intentique obviam procedunt.*) — 81. *nec deerant, qui propellerent proculcarentque.* — 82. *ne templis quidem ac delubris deorum consuleret.* — 84 *in Palatium regreditur vastum desertumque.* (cf. Cic. Rull. II 26 *genus agrorum . . vastum atque desertum.* Liv XXVIII 11 *agrum vastum ac desertum.* Curt. IX 10, 8 *maritimi Indi . . desertam vastamque regionem late tenent.*) — 86 *nomen locumque inter primores adeptus.*

IV 15 *vagos et pacis modo effusos lixas.* (cf. III 48 *incompositum et cupidine praedae vagum hostem.*) — 17. *prima acie fusum victumque Romanum.* — 22 *depromptae silvis lucisque ferarum imagines* (non distinguere Tacitum harum vocum notiones clarissime elucet e G. 39, ubi eandem regionem primum silvam, tum lucum appellat, cum dicit:

*in silvam . . sacram coeunt. — est et alia luco reverentia.)* — 39 *legatis laudes gratesque decretae.* (cf. A. I 69 *laudes et grates reversis legionibus habentem.*) — 57. *cum spoliati exutique fuerint.* — 58. *adversus quos non proelium et acies parantur.* (or.) (cf. A. III 39 *neque aciem aut proelium dici decuerit*). — 58. *si vobis non fuit cordi me duce haec castra incorrupta et intemerata servari, at certe pollui foedarique ne sinatis* (or.) — ibid: *nobis frumentum et commeatus* (quae verba eodem modo coniuncta recurrunt apud Caes. b. g. I 48, III 23. cf. I 39 *dum paucos dies rei frumentariae commeatusque causa moratur.* Suet. Cal. 28, 4: *magni commeatus frumenti Romam subvecti.*) — 64: *ut colloquia congressusque nostros arcerent* (or.) (cf. A. III 37 *inter coetus et sermones hominum*) — 64: *ut amicitia societasque in aeternum rata sint* (or.) (dictum simili gradatione atque Caes. b. g. VI 2 *Ambiorigem sibi societate et foedere adiungunt.* A. II 58 *miserat amicitiam ac foedus memoraturos*). — ibid: *quomodo lucem diemque natura aperuit* (or.) (cf. Plin. pan. 48: *in lucem et diem proferebant.* Atque hoc loco Taciteo Ernesti Lipsio, pro ‚diem‘ ‚noctem‘ scribenti, contradicit, meminitque, Latinos verba nonnulla coniungere solere, quamvis idem fere significantia, etiam qui brevitatem adamaverint.) — itidem: *sincerus et integer populus* (or.) (cf. dial. 28, 29 *sincera et integra natura.*) — 74. *proinde pacem et urbem amate, colite* (or.) — 76. *Germanos non iuberi, non regi* (or.) — ibid: *adulescentuli verba et contiones quam ferrum et arma meditantis* (or.) — 80 *paulatim levior viliorque haberi.*

V 3 *conquisitum collectumque vulgus.* — 26. *cuncta inter nos inimica hostilia* (or.)

Synonyma igitur neque ea pauca etiam in Historiarum libris deprehendi satis ostendisse mihi videor; sed adhuc ea tantum collecta sunt, ubi discrimen aliquod vel gradatio inter verba similia statui si non debebat at certe poterat. Quin in ea animadvertamus exempla, ubi tales voces, licet diverse sonent, eodem sensu positas esse apparet. Qualia sunt:

H. I, 10 *Titum filium ad venerationem cultumque eius*

*miserat* (cf. Sen. de ira III 41 *veneratur idem illos populus colitque.* Liv. XXXIX 15 *hos esse deos, quos colere, venerari precarique maiores vestri instituissent.* Cic. de nat. deor. I 42, 119. II 28, 71. Quint X 1, 11.) — 16. *generari et nasci a principibus fortuitum* (or.) — 18. *legiones non ultra verba ac voces errasse* (cf. III 65 *verba vocesque duos testes habebant.* Hor. ep. I, 1, 34: *sunt verba ac voces, quibus hunc lenire dolorem possis.* Ovid. am. III 14, 25. *illic nec voces nec verba iuvantia cessent. fast* V 484 *is verbi sensus, vis ea vocis erat.*)[1]) — 34. *vagus et incertus rumor.* (cf. II 73. *vagis et incertis auctoribus.*) — 52. *donaret sua, largiretur aliena.* — 84. *hanc urbem domibus et tectis et congestu lapidum stare creditis* (or.) — ibid: *continuum et immortalem senatum* (or.) — 85. *versare sententias et huc atque illuc torquere.* — ibidem: *in clamore tamen et ubi plurimae voces* (cf. 90 *clamor vocesque vulgi.* A. I 31: *multa seditionis ora vocesque.*) — 86. *iacentia et plana urbis loca* — 88 *occultare et abdere pavorem nitebantur.*[2])

---

[1]) Probanda si esset Ernestii sententia, qua negat, ‚in agmine' aliud significare atque ‚in itinere', iure hic locum haberent verba H. I 23: *in itinere, in agmine, in stationibus vetustissimum quemque militum vocans.* Sed cum ex ipsa orationis forma eluceat, tria, non duo poni, hoc quidem in loco discrimen inter has voces statuendum esse in propatulo est. Neque aliter iudicabimus de A. III 9 *ut in agmine atque itinere crebro se militibus ostentavisset.* Quid autem intersit inter has voces, Heraeus exponit (ad Hist. I 23), cum ‚in itinere' dici memorat de maioribus totius exercitus itineribus, ‚in agmine' de decursionibus vel quandocumque milites in ordine consistant; et conferre nos iubet H I 36 *non contenti agmine* A I 25 *ceteri tribunal ingenti agmine circumveniunt* A II 16 *ut ordo agminis in aciem assisteret.* H IV 35 extr.

[2]) Doederlinus quidem l. l. IV 45 occulere velandi vel contegendi verbis circumscribit, abdi autem dicit id, quod amovendo hominum oculis subtrahatur; quam notionum illarum varietatem elucere putat e Corn. Nep. Alc. 9: *penitus in Thraciam se abdidit, sperans ibi facillime fortunam suam occuli posse,* et ex Hist. III 11 (eripuit Saturninum) *obscuritas latebrarum, quibus occulebatur, vacantium forte balnearum fornacibus abditus.* Statuatur licet his in locis discrimen inter illa verba, num in omnibus, num eo, quem supra protuli, loco idem inter-

II 2 *illum cupido incessit, adeundi visendique templum Veneris* (Doederlini distinctionem, qua (l. l. VI 406) visimus aliquem ob amicitiam, adimus propter negotia, hic quoque valere qui mihi persuaserit, gratiam habebo; interim liceat mihi duobus in verbis notionem cognoscere unam). — 50 *ut conquirere fabulosa et fictis oblectare legentium animos procul gravitate coepti operis crediderim, ita vulgatis traditisque fidem demere non ausim* (an alia sunt fabulosa, alia ficta; diversave sunt vulgata a traditis?) — 73 *in ore famaque Vespasianus.* — 76. *abiit iam et transvectum est tempus* (or.) — 77. *discrimen ac pericula ex aequo partiemur* (or.) (cf. H. I. 68 *illi ante discrimen feroces, in periculo pavidi.* Liv. VII 18 *periculum ipsum discrimenque id poscere.* ‚Discrimen' autem his locis Taciteis sensu non discrepare iudico a voce periculum, neque in comparationem vocari patiar Liv. VI 17 *in ipso discrimine periculi,* VIII 24 *quid in tanto discrimine periculi cunctaretur?*) — 77. *aperiet et recludet contecta et tumescentia victricium partium vulnera* (or.)

III 2. *sedecim alarum signa operient ac superfundent oblitos proeliorum* (or.) — 22 *hostem profligare ac proruere ratio fuit.* — 70. *simulationem et imaginem deponendi imperii fuisse* (or.) — 84. *terret solitudo et tacentes loci.*

IV 11 *civitas — verterat se transtuleratque.* — 42. *retinete et reservate hominem* (or.) — ibid: *quid si floreat vigeatque* (or.) — 81. *ut pede ac vestigio Caesaris calcaretur orabat.* — 86. (Domitianus Cerialis fidem tentavit, an praesenti sibi exercitum imperiumque traditurus foret;) *qua cogitatione bellum adversus patrem agitaverit an opes viresque adversus fratrem, in incerto fuit.*

V 4 *quod . . pleraque caelestium viam suam et cursum septimos per numeros commeent.* (cf. Caes. b. g. VI 17: (Mercurium) *viarum atque itinerum ducem arbitrantur.* Cic.

---

cedere evincemus? Atque etiam H. III 11 Tacitus variandi sermonis studio ductus potius quam accurate perpensis verborum significationibus utrumque posuisse putandus est. Cf. etiam Cic. de deor. nat. I, 19, 49: *res occultas et penitus abditas.*

ad Attic. V 16, § 1 *etsi in ipso itinere et via discedebant publicanorum tabellarii.*) — 6. *terra finesque . . terminantur.* — 24 *exsulem eum et extorrem recipientibus oneri* (or.) (cf. Liv. V 30 *exsulem, extorrem.*)

Restant synonyma, quae in Annalium libris deprehenduntur; quae perpauca indagabuntur, si verum est, quod Draegerus ponit, [1]) synonyma a Tacito in annalibus paene nusquam coniungi. Sed vereor, ne nimis severe egerit vir ille doctus neve verior sit Wölfflini opinio, [2]) qua rarius dicit in Annalibus quam in Historiis copulari synonyma atque ibi, modo orationes excipiamus, quaerere licere, quid discriminis inter singula intercedat. — Quamquam quid nunciam de numero exemplorum disputamus, praestat, prius ea ipsa colligere; collectorum numerus ultro se offeret.

I 7. *dabat et famae, ut vocatus electusque videretur.* — 11. *suspensa semper et obscura verba.* — 28. *si fulgor et claritudo deae* (sc. lunae) *redderetur.* — 42. *occisus Augusti pronepos, interfecta Tiberii nurus* (or.) — 47. *immotum ad eos sermones fixumque Tiberio fuit* (cf. Verg. Aen. IV 15 *si mihi non animo fixum immotumque sederet.*) — 66. *Caecina . . cum . . neque auctoritate neque precibus, ne manu quidem obsistere aut retinere militem quiret.* — 70. *impulsu aquilonis rapi agique agmen* (cf. Liv. XXI, 13: *rapi trahique . . coniuges . . sinatis.*) — ibid: *iumenta, sarcinae, corpora exanima interfluunt, occursant.*

Hos primi Annalium libri locos cum perlustraverimns, quid iam iudicabimus de synonymis? concedemusne semper inter ea discrimen apparere? Ego quidem non video, quo nomine differat fulgor a claritudine lunae, immotum a fixo, rapere ab agendo (ut omittam, quia in oratione extat: occisus iuxta interfectus.) Atque quid de reliquis exemplis? licet varietur aliquam partem alterum alterius notione, cum non ita sint comparata, ut necessaria sint bina verba ad

---

[1]) In editione annalium I p. 34, 17.

[2]) Philologus XXV p. 133.

perficiendam sententiam, ubertatem saltem eam iure dici posse existimaverim. —

Iam vero ceteros libros intueamur:

II 14. *quae sapientia provisa aptaque imminenti pugnae.* — 26. *gravia et saeva damna.* — 34. *Piso . . abire se et cedere urbe, victurum in aliquo abdito et longinquo rure testabatur.* — 37. *stirps et progenies tot consulum* (or). (cf. Liv. XXI 10, 3.) — 43. *divisa et discors aula erat.* — 52. *ut Tacfarinas lectos viros disciplinae et imperiis suesceret.* (cf. III 42. *ala . . quae militia disciplinaque nostra habebatur.*) — 55. *exercitio equitum, decursibus cohortium interesse,* (cf. III 33. *praesedisse nuper feminam exercitio cohortium, decursu legionum.* Neque enim credere possum, diversum esse decursum ab exercitio, praesertim cum exercitium illic de equitibus, hic de cohortibus, decursus ibi de cohortibus, hic de legionibus dictus ostendat, non esse proprium alterum huius alterum illius militum generis.) — 82. *donec tempore et spatio falsa vanescerent.* (cf. Caes. b. g. VIII 31. *dato spatio ac tempore.*)

III 4 *versi ad caelum ac deos.* — 8. *malle falsa et inania* (cf. 50. *inania et fluxa sunt.* — 54 *offensiones inanes et irritas neque mihi aut vobis usui futuras iure deprecor.* Liv. XXI 10, 1 *vana atque irrita legatio fuit.* XXVIII. 6, 11 *fide, quae fluxa et vana fuerat.* XXIX 23, 6 *Hasdrubal, memor quam vana et mutabilia barbarorum ingenia essent.*) — 11. *adrecta civitate . . satin cohiberet ac premeret sensus Tiberius.* — 30. *diversus a veterum instituto per cultum et munditias copiaque et affluentia luxu propior.* — 34. *multa duritiae veterum in melius et laetius mutata.* (cf. 53. *maius aliquid et excelsius a principe postulatur* (or.) ) — 34 *remissum aliquid postea et mitigatum* (or.). — 50. *sin flagitia et facinora sine modo sunt* (or.) (cf. VI 6 *facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant.* — Cic. Cat. I, 5 *quod facinus a manibus tuis, quod flagitium a toto corpore afuit?* — Sall. Cat. 23 *flagitiis atque facinoribus coopertus.* Cat. 14: *omnium flagitiorum*

*atque facinorum circum se . . catervas habebat.* Contra sexcentis locis apud Tacitum alterum utrum vocabulum extat solum.) — 50 *nec quicquam grave aut serium ex eo metuas* (or.) — 67. *vinclum et necessitas silendi.* — 69. *probrosus et opertus infamia.*

IV 11: *insita etiam in extraneos cunctatione et mora.* (cf. VI. 48 *cunctationem et moras suadentibus amicis.* Plin. ep V 8, 14 *ne alia rursus cunctationis et morae iusta ratio nascatur.* Sen. de ira I 10 *Fabius cunctari et trahere et morari scivit.)* — 20. *fato et sorte nascendi.* — 28. *inluvie ac squalore obsitus.* — 69. *anxia et pavens civitas.* — 70 *quaesitum meditatumque* (VI 24 *meditatas compositasque diras.)*

VI 8 *indistincta haec defensio et promiscua dabitur?* (or.) — 51. *occultum ac subdolum fingendis virtutibus.*

Hic paullisper, si placet, subsistentes, percenseamus locos maxime notabiles: reperimus ‚stirps' iuxta ‚progenies' (II 37), aula ‚divisa' insuper ‚discors' appellatur (II 43), quasi homines factionibus distracti concordare possent, Piso non solum abit, sed etiam cedit urbe (II 34), Tiberius exspectat, dum falsa et tempore et spatio vanescant (II 82).[1]) Neque aliter verba, non sententiam immutavit scriptor, cum remissam et mitigatam esse narraret nonnihil priorem severitatem (III 34), cum scriberet: silendi vinculum et necessitas (III 67), cum civitatem diceret anxiam et paventem (IV 69), cum defensionem postularet indistinctam et promiscam (VI 8). — Quibus ex exemplis (quorum maior pars non ex orationibus sumpta est) spero fore, ut etiam his in libris, quantum quidem ad synonymorum usum, nonnulla abundare eluceat.

---

[1]) Nipperdeius collato Hirtii loco, qui extat ap. Gell. VIII 31, 2: *dato spatio ac tempore,* vulgarem hunc morem loquendi fuisse putat longiusque temporis spatium eo significari. Sed licet vulgaris fuerit haec dictio, non minus crebro apud Cic. Caes. ceteros vim hic duabus vocibus expressam alteri soli inesse invenimus. cf. Justin II 15, 6: *diem de die proferendo spatium consummando operi quaerebat.*

Postremo reliquum est, ut extremos Annalium libros pervestigemus:

XII 12: *cura provisu perinde agere ac si hostis ingrueret.* — 29. *carus acceptusque popularibus.* — 31. *infensa et infida pax* (cf. XI 24 *continua et fida pax.*) — 60 *cautum plenius et uberius.* — 63. *quaestuosi et opulenti.* — 66. *de genere veneni consultavit, ne repentino et praecipiti facinus proderetur; sin lentum et tabidum delegisset* . . . .

XIII 3. *Augusto prompta et profluens . . eloquentia fuit.* — 14. *quod insitus et adoptivus per iniuriam matris exerceret.* — 19. *nihil rerum humanarum tam instabile ac fluxum est.* — 26. *ceteras actiones promiscas et pares esse.* — 42. *qui vividam et incorruptam eloquentiam exercerent.* — 46. *integre sancteque egit.* — 55. *modo ne vastitatem et solitudinem mallent,* (cf. A. IV 66. Cic. Verr. VI 51: *audistis, quae solitudo esset in agris, quae vastitas, quae fuga aratorum.* — cf. H. III 84. p. 40 et 43.)

XIV 15 *per virtutem clari honoratique agere.* — 36 *stragem caedemque continuarent.* — 59 *constantiam . . pro incerta et trepida vita suasisse.*

XV. 15 (pontem) *validum et fidum intellexere.* — 19. *gratiam, honores, cuncta prompta et obvia haberent.* — 27. *indomitas et praeferoces nationes regeret.* — 38 *clades omnibus quae acciderant gravior atque atrocior.* — 63 *rogat oratque.* — 64 *durante tractu et lentitudine mortis.*

Collecta vides quae adhuc supererant exempla, age singula perpendamus. At ne longus sim, gravissima tantum hic in conspectu ponam. Itaque quid interest inter venenum repentinum et praeceps (XII 66), quale discrimen intercedit inter vastitatem et solitudinem (XIII 55), ecquis aegre careret voce ‚plenius' iuxta ‚uberius' (XII 60), num requiritur ‚strages' sequente ‚caedes' (XIV 36), qua notionum varietate mortis lentitudini additur tractus (XV 64), cur pons ad ferendam hominum multitudinem satis validus insuper fidus vocatur (XV 15)? His locis omnibus binis vocibus notiones singulas expressas esse persuasum habeo, itemque in reliquis

(alio magis alio) abundanter additum esse statuo alterum verbum, quippe cuius notio aut omni aut summa ex parte par sit alterius.

Atque his quidem pertractata cum sit quaestio de synonymorum usu instituta, computato exemplorum numero, rationis, quam supra inter scripta minora valere invenimus, meminisse iuvabit. Historiarum enim libri, quorum amplitudinem dialogus ne sexta quidem ex parte aequat, altero tanto maiorem illo libello numerum praebuerunt, ex Annalibus vero duplo maiorem numerum quam e Germaniae libro hausi, cuius ambitus decima sexta parte minor est quam illorum. Qui progressus (sive mavis regressus) inter singula scripta notabilis quo clarius emineat, comparato singulorum ambitu cum numero exemplorum inde haustorum intra denas paginas (editionis Halmianae) Dialogi et Germaniae vicena quaterna, Agricolae duodena, Historiarum octona, Annalium terna exempla me deprehendisse monere velim. — Genera autem synonymorum si distinguimus, rarissime (sexagiens fere) verba, longe crebrius (centiens quadragiens) adiectiva et adverbia, saepissime vero (paene ducentiens) substantiva similia composita esse invenimus.

Dixerit quis, synonyma ubi coegeris, circumspiciendum est, quibus rationibus scriptor in eorum usu duci se passus sit. Cui respondendum est, plerumque consilium dispici nullum, neque horum omnium a scriptore rationem repetendam, sed naturae sermonis latini ea condonanda esse. Interdum autem ad efficiendam vel servandam orationis aequabilitatem nonnulla eum abundanter addidisse in propatulo est. Quo in numero cum alia tum haec habeo: H. I 81 trepidi, manere ac deprehendi quam fugere ac dispergi periculosius foret. III 24 alios pudore et probris, multos laude et hortatu, omnes spe promissisque accendens. IV 7 sorte et urna mores non discerni; suffragia et existimationem senatus inventa. IV 72 ne quis in certamine iurgiove seditionem aut cladem commilitoni obiectaret. A. XIII 6 pleraque auspiciis et consiliis quam telis et manibus geri. Iam

vides in altera parte bina cum ponantur, ut totidem notionibus altera pars constet, pro singulis significationibus verba adhiberi bina: nam sono, non re discrepant ‚sors' et ‚urna', ‚certamen' et ‚iurgium', unum significatur vocibus duabus ‚fugere ac dispergi', ‚telis et manibus'. Quod autem, ubi orationes finxit, oratorum in dicendo ubertatem non vitavit, ratione non eget, cum orationis latinae elegantiam non minima ex parte in ubertate quadam positam esse inter omnes constet.

---

# Caput III.

His igitur peractis iam accedamus ad ea nec ita pauca exempla, ubi et praeter exspectationem et praeter necessitatem scriptor sententiae inseruit voces, quae cum illam nulla ex parte illustrent neque quidquam novi in eam inferant, superfluae sunt habendae quaeque, si abessent, a nullo desiderarentur. Quid? quod scriptor ob breviloquentiam famosus non dubitavit vocabulum suspendere ex altero, cuius vis fere eadem est atque alterius.

Sed antequam has perlustremus abundantias, nonnulla nobis hinc removenda sunt, quae nescio an aliquis abundanter dicta esse censeat, cum re vera constanti omnium scriptorum consuetudini sint accommodata. Solent enim latine loquentes, ne quod enunciatum pendeat ex nomine substantivo, (quae durities eis esse videbatur), verbum nominis illius vim referens interponere, unde enunciatum illud aptum faciant. Quod verbum etsi plerumque per pronomen relativum substantivo adiungitur (quem morem sat multis exemplis illustravit V. D. Vahlenus in ind. lect. Berol. 1876/77 p. 8.[1]) atque ita, ut ablativo casu id pronomen ponatur (quamquam e. g. Caes. b. c. II 30 scripsit:

---

[1]) cf. quae hac de causa disputavit C. F. W. Muellerus in Fleckeiseni annalibus 1866 p. 488.

*erant sententiae, quae conandum omnibus modis . . censerent,*) tamen interdum aliis rationibus scriptores id efficere studuerunt.

Cuius generis haec apud Tacitum mihi obvenerunt: H. III 39: *audita est Vitellii vox, qua se . . pavisse oculos spectata inimici morte iactavit.* — III 41: *Valens ne in tanto quidem discrimine infamia caruit, quominus rapere inlicitas voluptates crederetur.* cf. A. XV 44: *Sed non ope humana . . decedebat infamia, quin iustum incendium crederetur.* — A. IV 52: *secuta adseveratione Caesaris, qua suo iure disertum eum appellavit.* — A. XI 4: *nocturnae quietis species alteri obiecta, tamquam vidisset Claudium spicea corona evinctum.* — A. XV 20: *una vox eius usque ad contumeliam senatus penetraverat, quod dictitasset, in sua potestate situm.* Ac dubito an iure huc referatur H. II 54: *Coenus atroci mendacio universos perculit, affirmans . . caesos victores;* eodem enim consilio participium ‚affirmans‘ positum esse iudico, quo enunciata illa relativa.

Neque vero nimis anxie Tacitum huic consuetudini obtemperasse ostendunt tales loci: Agr. 9: *comitante opinione Britanniam ei provinciam dari.* — Ag. 40: *addi insuper opinionem, Syriam provinciam Agricolae destinari.* — Ag. 43: *augebat miserationem constans rumor, veneno interceptum.* — A. XV 20: *nobis opinio decedat, qualis quisque habeatur, alibi quam in civium iudicio esse.* — A. XV 64: *addita voce, libare se liquorem illum Iovi liberatori.* — A. IV 64: *adduntur sententiae, ut mons Caelius in posterum Augustus appellaretur.* — A. XII 11: *addidit praecepta, ut non dominationem et servos sed rectorem et cives cogitaret.*

Rationem autem huius inconstantiae qualem reddamus equidem non video: nam etsi quibusdam in locis concedendum est, leniri duritiem illam interposita alia sententia, ita ut non subsequatur enunciatum vocem, ex qua pendet (velut A. XV 20), tamen quid moverit scriptorem, ut A. IV 52 ex verbis: ‚secuta adseveratione‘ accusativum cum infinitivo suspendere nollet, A. XV 64 ex verbis: ‚addita voce‘

eandem constructionem aptam facere non dubitaret, haud facile erit, qui inveniat; ubi ne id quidem praetermittere velim, utrumque locum ex Annalibus esse petitum, (ne quis mihi obiciat, alio tempore alium fuisse scriptoris sermonem), atque utroque loco vocem, e qua enunciatum pendet, ablativo quem vocant absoluto positam esse. Quae cum ita sint, mittamus quaerere, quas leges Tacitus hac in causa sibi statuerit, (si modo leges ac non arbitrium suum singulis locis secutus est) et satis habeamus cognovisse, Tacitum non ignorare morem illum sed non nimis anxie curare.

Haec postquam de toto hoc dicendi genere dicta sunt, paullisper morandum nobis est in loco quodam dialogi: 26, 14: *unde oritur illa foeda et praepostera sed tamen frequens sicut scitis clausula et exclamatio, ut oratores nostri tenere dicere, histriones diserte saltare dicantur.* Ita enim Michaelis verba in libris aperte depravata restituit, neque tamen emendationem Andreseno probavit, qui resecandis vocibus huic loco mederi se posse confidit; ac ne Peterum quidem in suam sententiam trahere potuit. Sed quidquid statuitur de verbis parum recte traditis, quantum ad legem supra laudatam, mihi quidem dubitatio videtur esse nulla, quin enunciato per ‚ut' particulam incipiente, qualis fuerit exclamatio illa, disertis verbis indicetur; (quamquam Peterus in editione sua scribit: ‚selbstverständlich aber ist die clausula et exclamatio der Redner selbst, nicht der Zuhörer gemeint' — quod licet huic videatur apertissimum, aliis aliter — ac nescio an rectius— iudicare licebit: Ritterus enim loci sensum sic circumscribit: ‚oratoribus tamquam histrionali opera fungantur acclamatur: tenere!' cuius interpretationem ipse libens sequor, quia oratorum exclamatio quo iure praepostera dici possit non intellego.) Haec igitur clara mihi videntur, in tenebris autem erramus, si, quae antecedunt verba, sicut in codicibus traduntur, interpretari conamur: ‚sicut his c̄la et exclamatio'. Unde quod Peterus effecit: sicut histrionum clausula et exclamatio', probare non possum, quia non oratores sed eorum fautores exclamationis illius

auctores esse mihi persuasi; (quae coniectura simillima est Ritteri, qui *sicut histrioni clamor et* . . scribit, emendatione, ut mihi quidem videtur, non feliciore, quia dativus ille atque is singulari numero positus num e scriptorum usu satis firmetur dubitandum esse existimo, ne dicam de molesta, quam ille efficit, abundantia verborum: clamor et exclamatio.) Quod autem Andresenus verba *sicut* — *et* delenda esse censet, talis medicina adhiberi mihi videtur facilius quam accipi; neque multo aliter Halmius Rhenanum secutus egit, nisi quod pro verbis ab illo extinctis interposuit: quibusdam. Restat, ut Michaelis emendationem respiciamus, qui Orellii commentum amplexus *sicut scitis* ex codicum *sicut his* effecit, quodque subsequitur in libris *cla* — *clausula* intellegendum esse existimat. Ac ne hanc quidem coniecturam ut probem in animum inducere possum, primum quia frigere arbitror *sicut scitis* (ne dicam de literarum dissimilitudine), tum $\overline{\text{cla}}$ num recte compendium vocis clausula habeatur dubito. Quare ad eam me applicavi sententiam, ut talem fere sensum desiderari existimem: ‚si cuius oratio laude et applausu comprobatur‘, quem quidem ex traditis verbis vel literis ita elici posse putavi, ut scribatur pro:

s i c u t  h i s  $\overline{\text{c l a}}$  e t exclamatio
s i  c u i  q u i s  p l a c e t exclamatio.

Sed haec hactenus; nunc animos intendamus ad aliam Taciti consuetudinem (ne eam quidem eius propriam), qua abundans reddi oratio non vereor ne nostris tantum auribus videatur. Hos enim locos, in Annalibus conspicuos (in aliis libris unum inveni) in animo habeo: A. I 31: *a l i o s validiores exercitus respicientium* — III 42: *a l i u d vulgus obaeratorum aut clientium arma cepit* — XV 37: *fabricatus est ratem, cui superpositum convivium navium a l i a r u m tractu moveretur*. Qui nominis ‚alius‘ usus, ut in Graeca lingua in voce ἄλλος satis crebro deprehenditur, ita apud latinos scriptores rarissime occurrit; cf. Cic. Verr. I 16, 47: *non aliis recte factis tot tantaque eius vitia sublevata esse vide-*

*buntur.* — Liv. VII 8, 1: *tunc inter primores duorum populorum res geritur; vulgus aliud armatorum velut delegata primoribus pugna eventum suum in virtute aliena ponit.* Corn. Eum. 7, 1: *si potius ipse alienigena summi imperii potiretur quam alii Macedonum.*

Abundare autem illis locis vocem ‚alius' quis est qui negare audeat? Recurramus licet ad artes illas interpretationis, quibus brevitatem quandam ibi latere arbitrati sequentibus vocibus verbi ‚alius' notionem explicari dicamus, tamen, cur tandem ‚alius' a scriptore positum sit, quaerenti qualem poterimus reddere rationem, si concedendum nobis est, notionem loco propriam non inesse in voce ‚alius' sed in sequentibus?

Addam unum illum locum, qui extat in Germ. 4: *eis accedo, qui Germaniae populos nullis a l i i s a l i a r u m nationum connubiis infectos . . . arbitrantur*; neque enim aliter atque in superioribus locis ‚aliis' redundat, cum subsequatur multo distinctius: aliarum gentium. Sed caveas, ex hac ubertate eiciendae vocis ‚aliis' ansam repetere (quod Lipsius priorum, nostrorum Halmius fecere); non est cur recedamus a tradita scriptura, quia plures loci eiusdem luxuriei testes extant, quae h. l. insuper defenditur studio scriptoris diversitatem inter Germanos ceterosque barbaros intercedentem eo uberius ostendendi. (cf. dial. 30, 18: *omnem omnium artium varietatem.* 6, 15: *in summa omnium rerum abundantia.*)

Possum etiam quintum huius ubertatis exemplum idque satis grave afferre, si Halmii coniecturam a Draegero comprobatam amplecti vellem, qui A. VI 28 pro: *prioresque alites* scribendum esse censet: *prioresque alios tres*; quod cur fecerit etsi non exponit, haud scio an aeque ac Spengelius (*alios ter* coniecit) in voce ‚alites' offenderit, ut quae apud poetas usitatissima, apud prosae orationis scriptores perraro deprehenderetur. Sed apud Tacitum bis (H. I 62 II 50) eadem vox recurrit, eandem (si recte scriptoris consilium perspexi) ob causam usurpata, nempe ut

variarentur eiusdem rei, plus semel nominatae, significationes. Quodsi legimus ,alios tres', et desideratur subiectum sententiae et obtruditur scriptori abundantia admodum molesta; an quisquam negabit abundare utrumque, et ,alios' et ,tres', cum numerus ex sequentibus nullo labore erui possit neque quidquam significet ,alius', quod non insit in voce ,priores.' Quare huius abundantiae auctorem quamvis invitus Halmium, non Tacitum nominare cogor.

Sed ut aliqua saltem ex parte compensem hoc exemplum amissum, ,ceterum' eadem luxurie positum inveniri moneam: H. IV 56: *legatis tantum legionum interfectis, ceterum vulgus . . facile accessurum.*

Quibus peractis quaestionem instituamus de pronominibus, si qua eorum praeter necessitatem posita nobis occursura sint. Itaque primum subsistamus oportet H. III 22, ubi Tacitus, de proelio inter Vitellianos et Flavianos commisso verba faciens picta Vitelliani exercitus acie Flavianorum ordinem, ut qui parum certe traditus sit, exponere non audet; verum addit: *quamquam alii tradiderint, quartam Macedonicam dextrum suorum cornu . . complesse.* Quae cum ita sint, utra de acie haec commemorentur cum non sit dubium, quo consilio dicamus scriptum esse: suorum cornu? Atque iam Ernestio haec vox, quam contra consuetudinem ibi poni fatetur, scrupulos iniecit, quos ut dilueret Waltherus probante Rittero hac utitur interpretatione: ,dextrum', inquit, ,cornu Vitellianorum illud erat, quod Etruriam versus et Romam spectabat quodque laevo Flavianorum oppositum erat. Hanc ob causam *suorum* a Tacito additum est.' Qualis interpretatio cum mihi quidem (fortasse mea culpa) parum liqueat, Heraeo assensus ,suorum' abunde positum defendi non posse existimo nisi ita, ut Tacitum dicamus indicare voluisse, a Flavianis ipsis illa tradita esse.

Dein A. IV 24: *primo sui incessu solvit obsidium* — extitit, qui *sui* ut ,otiosum plane et nulli usui' delendum censeret; sed nec aequalium nec recentiorum quisquam

hanc Acidalii coniecturam comprobavit, neque id immerito, quia hic pronominis usus et apud alios scriptores et apud Tacitum saepius occurrit; an differunt ab hoc loco A. III 43: *quadraginta milia fuere, quinta sui parte legionariis armis;* — XV 43: *destinabat ut aedificia certa sui parte sine trabibus saxo solidarentur;* — XIV 6: *quod .. navis summa sui parte veluti terrestre machinamentum concidisset.* Severius agere si volumus, his quoque in locis ‚sui' otiosum dicere possumus, quia cuius rei pars intellegenda sit e toto connexu satis clare eluceat, neque tamen propterea extinguemus, praesertim cum talis ubertas (si modo ubertas est habenda) quodammodo ultro se offerat; atque ne nos quidem ab ea abhorremus.

Itemque inter abundantiae exempla referre dubito A. VI 1: *servi .. vim raptus suaque ipsi libita .. exercebant;* neque enim plane superfluum est pronomen *ipsi*, quippe quod etiam distinctius significet, sua libita, non principis tantum iussa, servos esse exsecutos, etsi eo absente manca non evaderet sententia.

Perpauca igitur ac paene nulla invenimus exempla pronominum abundanter positorum; plura nobis occurrent, ubi ad verba accesserimus. Ubi hos primum locos perlustremus: H. I 4: *finis Neronis ut laetus primo gaudentium impetu fuerat.* — I 33: *cunctatione et segnitia terentium tempus imitari principem discat.* — II 35: *cum variis trepidantium inclinationibus mixti remiges propugnatoresque turbarentur.* — IV 34: *vastatione incendiisque flagrantium villarum.* — IV 62: *non tulit ala Picentina gaudium insultantis vulgi.* — A. II 61: *profunda altitudo nullis inquirentium spatiis penetrabilis.* — A. VI 43: *oppressa cunctantium dubitatio.*

Atque his quidem in locis ea inest luxuries, quod substantivi nominis aut adiectivi notio participio praesentis temporis, ex nomine suspenso, magnam partem, si non tota, repetitur. Supervacaneum enim est iuxta ‚incendium villarum' positum ‚flagrantium', abundat ‚trepidantium' sequente ‚inclinationibus', non requiritur ‚gaudentium', quia satis

clara ac perfecta est haec sententia: finis Neronis laetus primo impetu fuerat. Atque etsi hoc quidem in loco forsitan quis dixerit, brevitatem eam esse intellegendam, qua Taciti animo haec obversata esse putemus: ‚Neronis finis laetus fuerat primo animorum impetu isque gaudium civium moverat‘, tamen alios ubi inspexerit id genus locos (maxime H. IV 34) opera in eruendis huius abundantiae causis semel atque iterum frustra consumpta concedet, participia si non omnibus illis at certe plerisque locis superflua esse, in ceteris autem excusari sed non tolli abundantiam, etiamsi scriptorem studio rei clarius explicandae ductum ea addidisse ponamus.

Neque ita multum recedere ab his exemplis existimo id, quod legimus dial. 41, 9: *si inveniretur civitas, in qua nemo peccaret, supervacuus esset inter innocentes orator sicut inter sanos medicus.* Nam etsi apparet, quo consilio Tacitus scripserit ‚innocentes‘, nempe ut servata orationis aequabilitate sequenti ‚inter sanos‘ responderet ‚inter innocentes‘, tamen id ipsum supervacaneum esse negari non potest, quia nihil fere interest inter homines non peccantes et innocentes.

Qualis sit haec abundantia quamque late pateat cum ex eis, quae modo dixi, apparere existimem, iam poterimus iudicare de loco intricatissimo varieque ab editoribus tractato H. II 41: *undique clamor accurrentium, conclamantium.* Ita enim novissimus editor, Heraeus, textum constituit; alii alia proposuerunt: velut Pichena (probante Bekkero)

*vo*

id, quod Mediceus liber exhibet: *clamantium* (*vo* additum vetere, sed alia manu) in *vocitantium* mutavit, Ritterus *palantium*, Halmius (cum Ryckio) *volitantium* legendum esse censet. Atque hoc quidem apparet, suprascriptum *vo* non fluxisse ex ingenio scribae cuiuscumque (is enim procul dubio sanam finxisset vocem), sed sive ex archetypo denuo inspecto sive ex alio libro petitum esse; unde hoc quoque elucere puto, iam in archetypo depravatam aut obscuram

lectionem extitisse; neque enim *clamantium* apte ponitur. An quisquam libens crediderit, Tacitum scripsisse: undique clamor clamantium? Quid ipse sentiam profiteri si iubeor, quoniam praecedit haec sententia: ,circumstetere alii signa sua, alii quaerere', proximum est, cogitare, eos qui signa circumstabant, socios, si quem agnoverant, advocasse, contra ceteros suum quemque signum cum clamore quaesivisse. Itaque accurrentes intellegendi sunt, qui undique ex agris suum quisque signum quaerentes in eam proruunt regionem, ubi signa collocata conspiciunt, ac restat, ut altero participio eos putemus significari, qui circum signum suum congregati milites clamore advocabant, sive ipsorum legionis numerum aut cognomen proclamantes sive commilitones nominatim appellantes. Sed neutrum me iudice voce ,clamantium' apte exprimitur, neque in hoc verbo acquiescere licet, quia suprascriptum *vo* (nisi forte *cla* prave repetitum esse ponimus), etsi per se nihil est, tamen in textu constituendo non est praetermittendum. Quam ob rem nescio an Heraei commentum *conclamantium* ad verum propius accedat quam quae reliqui editores proposuerunt, quorum coniecturae altera magis altera aut a literarum, quae in codice extant, ductibus aut ab ea, quam desiderari ostendi, sententia recedunt. Ac prorsus abhorrere a recto id quod Bekkerus scripsit *vocitantium*, Wölfflinus in philologo, tom. 26 p. 115 enucleate ostendit, ubi monet, Tacitum frequentativis quae dicantur verbis unam eamque plerumque primariam verbi simplicis tribuere significationem. Sic vocitandi verbo cum utatur Tacitus H. I 13 V 2 pro appellare vel nominare, hoc loco vocandi significationem ei subdere non licet.

Atque haec quidem de praesentis temporis participiis dicenda erant; nunc agamus de perfectis: H. II 34: *ancorarum funes non extenti fluitabant*; hic participium causam affert, sed ita perspicuam, ut eam diserte nominare non fuerit necesse. — H. III 84: *cecidere omnes contrariis vulneribus versi in hostem,* quo in participio non minor inest ubertas, quam in superiore, quia si qui vulneribus narrantur cecidisse

contrariis, non aversa ab hoste fronte eos vulnera accepisse nemo non intellegit.

Paullo aliter iudicandum est de H. I 75: *ni incolumes sibi mater ac liberi servarentur;* nam servari cum possit aliquis etiam male tractato corpore, haud ita superfluum est ‚incolumes', quippe quae vox arctius restringat servandi notionem.[1]) Neque in abundantis orationis exemplis numeraverim: H. III 25: *precabatur placatos patris manes neve se ut parricidam aversarentur,* quae verba sic puto recte interpretabimur, ut placatos proleptice positum esse dicamus pro: ut placati essent manes precabatur.

Sed ut redeamus eo, unde profecti sumus, i. e. ad participia abundanter posita, respiciamus Ag. 3: *exactae aetatis terminus.* — Ag. 15: *qui relegatum in alia insula exercitum detinerent* (or.) — Ag. 37: *nisi tanto acrius pulsos in fugam disiecisset.* — Atque etiam G. 38 hoc in genere memorabilis est locus: (Suebi) *non ut ament amenturve, in altitudinem quandam et terrorem adituri bella compti ut hostium oculis ornantur.* Redundat enim verbum ‚compti' propter sequens ‚ornantur', neque vero inde ansam peto huius vocis expungendae, (quam coniecturam Ernesti commendavit), quia consulto Tacitum eam posuisse arbitror, quo magis dilucidam redderet orationem, in qua, si abesset compti, verbum paullo remotius (ornantur) ad voces ‚in altit. et terr.' arcessendum esset, neque bene distinguerentur verba ‚adituri bella' et ‚ut hostium oculis'. Contra servato ‚compti' satis concinna evadit sententia: Suebi non amantium sed hostium quodammodo oculis ornantur, cum bella inituri sese comentes speciem suam altiorem terribilioremque reddere student.[2])

Historiarum autem et Annalium ex libris memorandi sunt: H. I 15: *vita in qua nihil praeteritum excusandum*

---

1) H. I 29: *cuius integra auctoritas maioribus remediis servabatur* huic non plane simile duco.

2) Nolo praetermittere, etiam verbum ‚ament' superfluum mihi videri, neque alia de causa additum esse, nisi ut in utroque membro par verborum numerus sibi responderet.

*habeas* (or.) — H. IV 14: *compositae seditionis auctores.* — A. II 53: *foederi sociae et vetustae urbis datum.* — A. XIV 27: *orbas sine posteris domos relinquebant.*

Atque horum quidem ad primum locum Ernesti annotat: ‚rectius totum verbum (praeteritum) abesset, praesertim apud scriptorem brevitatis nomine laudatum. Cicero certe et Livius omisissent.‘ Cui ut hoc in loco libens assentior, ita in ceteris quoque *compositae, sociae, orbas* si abessent, ne minimum quidem dolerem. Nam intellegamus licet componendi verbum eo sensu, ut sit: parata clam et instructa (sic Ernesti vult, neque ita multum differt ab hoc Heraeus, cum eius vim verbis comminisci, struere circumscribit), tamen ne sic quidem apparet, quid causae fuerit, cur omnino adderetur, quia hoc quidem in connexu solum ‚seditionis auctores‘ idem fere valet. Neque necessarium esse existimaverim, urbem, de cuius foedere sermo est, sociam appellare. Denique extremo in loco abundantiam etiam a Draegero et Nipperdeio notatam esse vidi; ille autem ‚sine posteris‘ abundare existimat, equidem cum Nipperdeio ‚orbas‘ nullo sententiae detrimento abesse posse statuerim; (neque vereor, ne eo nomine reprehendar, quia adiectivum, quod non ita diversum sit a participio ‚orbatas‘, in participiorum numero habeo.)

Postremo in disputationem vocemus A. XV 53: *Piso apud aedem Cereris opperiretur, unde eum praefectus Faenius et ceteri accitum ferrent in castra.* ‚Accitum‘ enim ibi positum est, etsi minime desideratur, cum in verbis ‚unde eum ferrent‘ non obscure lateat, eum inde acciri. Quid autem opus est duabus vocibus, si una sententiae satisfacit, neque altera memorabile vel grave quidquam in eam infert?

Satis sint haec dicta de participiis abundanter positis, quae pro scriptoris breviloquentia satis larga occurrunt neque solum in prioribus scriptis, sed etiam, etsi decrescente paullatim numero, in Historiis et Annalibus reperiuntur.

In confinio autem huius et proximae partis locum habeat G. 18: *incipientis matrimonii auspiciis,* ubi cum *auspiciis*

non diversum sit ab *initiis,* addito *incipientis* participio pleonasmus evadit; quamquam concedendum est, hac dictione magis eminere notionem initii. Verum latius patet haec consuetudo, qua initii significationes paullo uberius componuntur, neque Taciti propria est, sed e. g. Justinus XXVII 1, 1) scribit: *Seleucus .. auspicia regni parricidio coepit* et Sallustius b. Jug. 73, 1 — Sed prius audiamus Tacitum; apud hunc igitur extat dial. 11, 10: *ingredi famam auspicatus sum*[1]) — G. 30: *Chatti initium sedis .. inchoant.* — H. I 44: *seu tum primum .. vacare gaudio coeperat.* — II 72: *mendacium acribus initiis coeptum.* — II 79: *initium ferendi imperii coeptum.* — A. I 45: *nam primi seditionem coeptaverant.* — I 54: *ludos Augustales tunc primum coeptos.* — XIII 10: *ut principium anni inciperet mense Decembri.* — Adde quod Tacitus plus semel dicit: *orto initio* (H. I 39. 76. III 14. 44. A. I 31. II 1.) XV. 41: *principium ortum;* quamquam idem A. VI 44 habet: *principio facto,* — A. XII 6: *capto rursus initio,* — XIII 45: *initium fecit,* XVI 28: *initium faciente Cossutiano.*

Vides igitur scriptorem idque per omnes libros (etsi paullo crebrius in prioribus quam in Annalibus), ubi initii notionem exprimit, geminare solere voces, quarum utrique incipiendi vis inest. Sed, ut iam supra monui, alii scriptores in eadem causa eadem ubertate uti non dubitaverunt. Livius enim etiam fortius quam Tacitus XXXVII 19, 5: *instauremus novum de integro bellum.* — Cic. p. Cluent. § 180: *hoc initio suspicionis orto.* — Ter. Hec. III 2, 16: *unde ortumst initium irae.* — Caes. b. G, V 26, 1: *initium repentini tumultus ortum est.* cf. Lucretii II 612, IV 111, V 1012. Liv. III 54. Justin. I 2, 4: *primis initiis sexum mentita* IV 3, 6: *quoniam prima initia prospera fuerant.* VII 5, 1: *igitur Alexander inter prima*

---

[1]) Haec esse genuina Taciti verba reiectis Useneri et Andreseni conaminibus luculenter ostendit V. D. Vahlenus in libro, qui inscribitur: Commentationes philologae in honorem Th. Mommseni, scripserunt amici. Berolini 1877 p. 664 sq.

*initia regni.* Neque graeci scriptores fere aliter locuti sunt: sic enim Callim. hymn. III 103 *τὸ πρῶτον ἤρξατο* Theocr. id. VIII 32: *Μενάλκας ἄρξατο πρᾶτος.*

Removenda autem hinc ea sunt exempla, in quibus videtur latere abundantia, re vera inest nulla. Tales autem locos in animo habeo: Ag. 3: *primo statim beatissimi saeculi ortu.* — A. VI 22: *primo cuiusque ortu* (cf. Liv. XXI 4: *primo statim adventu.*) Hoc enim dicendi genus latinum est, non Tacitinum, efficitque, ut magis emineat incipiendi notio. Ac dubito an eodem nomine exuberare vel potius non uberare putemus vocem ‚primus‘ appositam ad vocabula, quae sola iam significant primum esse vel fieri id, quod significant. Itaque pendeo animi, rectene inter abundantias referam A. XV 49: *primus auctor*, Ag. 5: *prima rudimenta* (cf. Quint. I 8, 15: *id quoque inter prima rudimenta non inutile,* II 5, 1: *quia prima rhetorices elementa tractamus.*) Talia nec Tacitini nec omnino latini sermonis propria esse ratus ex communi quodam omnium fere linguarum studio, principii notionem accuratius exprimendi, manasse crediderim.

Subsequantur verba cum *re* particula composita; quae si omnia rem iterum aut saepius gestam significarent, haud levis abundantia lateret in omnibus illis locis, ubi eiusmodi verbo vox aliqua et ipsa repetendi notionem exprimens adiungitur.[1]) Atque apud Tacitum quidem identidem

---

[1]) Neque aliter res se habet, ubi tali in verbo si notio iterandi ita latet, ut quod ad terminum aliquem provectum est, in pristinum statum redigatur (ut reduco, recedo all.), apponitur vox ‚retro‘. Sed huius generis exempla ut apud optimos scriptores non pauca extant, cf. Liv. XXII 6, IX 2 *retro repetere,* XXVII 28 *retro remittere,* XXIII 28 *retro redire*), ita apud Tacitum deprehenduntur nulla, qui ubicumque ‚retro‘ posuit, verbum elegit ne minimum quidem significationem illi similem exprimens; cf. A. XI 4, XIV 32 *retro convertere*, XV 5 *retro concedere*; neque H. II 15 *Vitelliani retro Antipolim .. Othoniani Albigaunum .. revertere* — e more ceterorum scriptorum dictum est, sed per zeugma quod vocant ad ‚Vitellani‘ concedendi verbum ex ‚revertere‘ cogitandum est.

obvenit *rursus* tali verbo appositum, sed semel ita, ut abundet. Nam quod legimus A. III 21: *Tacfarinas spargit bellum, ubi instaretur cedens ac rursum in terga remeans* non repetitionem significat *rursus*, sed idem fere sonat ac *contra*[1]), (cf. Ag. 29: *quem casum neque.. ambitiose, neque.. rursus.. muliebriter tulit*). Neque fere alio sensu dictum est XII 60: *cum Semproniis rogationibus equester ordo in possessione iudiciorum locaretur, aut rursum Serviliae leges senatui iudicia redderent.* Porro A. III 63: *rem integram rursum ad senatum referrent* et XIV 17: *rursus re ad patres relata,* in referendi verbo non iam inest vis iterativa. Sed A. VI 1: (Tiberius) *saepe in propinqua degressus aditis iuxta Tiberim hortis saxa r u r s u m et solitudinem maris r e petiit,* cum nihil lateat in voce rursus, quod non repetendi verbo significetur solo, praeter necessitatem eam additam esse existimandum est. Ac nescio an etiam XV 40: *r e diit haut levius r u r s u m grassatus ignis* salva sententia *rursus* carere possimus. — Quamquam hunc quoque usum tantum abest ut Tacito soli imputem, ut ex aliis scriptoribus similia facile colligi posse persuasum habeam; cf. Cic. ad. Att. XIII 20: *redeo rursus*; de or. III 29. — Caes. b. g. IV 4 *rursus reverterunt*, VII 9 *rursus reducit* — Corn. Nep. Alc. 6: *rursus resacrare.* — Liv. IX 27: *rursus revocare.* — Suet. Caes. 2: *rursus repetitus.* — Curt. VII 6, 2: *rursus in montem recesserunt*[2]). Neque a nostro quidem sermone talia aliena esse testimonio sit Schilleri illud: der König zum dritten Mal wieder fraget.

Atque haec quidem de *rursus* particula quoniam exposuimus, non vereor ne in remotiora digrediamur, si data occasione meminerimus, eadem luxurie vim, quae verbis cum *pro* vel *prae* compositis subest, iterari adiuncta aut eadem aut simili praepositione. Dial. enim 18, 9: *si*

---

[1]) cf. Draeger, Syntax und Stil des Tacitus. p. 100.

[2]) cf. Reisig, Vorlesungen über lat. Sprachwissensch. ed. Haase Lpzg. 1839. annot. 618.

*illud ante praedixero* et 28,13: *si prius praedixero* et *ante* et *prius* redundant, itemque (quod unum in reliquis Taciti libris extat exemplum) A. XI 7: *nihil a quoquam expeti, nisi cuius fructus ante providerit*[1]) — *ante* non requiritur; neque enim providere h. l. idem valet atque curare, consulere, cavere, sed proprio sensu dictum est, ut nos: voraussehen (quo sensu hoc verbum redire A. XIV 59, IV 58 atque A. I 27 H. III 22 *provisu*, A. XII 4 *provisor* rectissime Nipperdeius monet.) Habes huius ubertatis exempla, consideres quaeso, quam angustis finibus circumscripta sit; quod si feceris, hanc luxuriem adeo non Taciteam arbitraberis, ut ab eius ingenio alienam ex Ciceronis, Livii, aliorum sive priorum sive aequalium memoria in scripta eius irrepsisse statuas. Apud Ciceronem enim legimus Phil. 6, 3: *ante praedico*, apud auctorem belli Hisp. 4: *ante praemisit*, apud Livium XL 23 *ante praemeditatis*, apud Plinium ep. 10, 15 *ante praedixi.* cf. Hand. Turs. I 385 et Drakenborch. ad. Liv. s. v. *ante.*

Verum etiam longius hoc in tramite progredi poterimus: frequentativa enim quae vocantur verba nonnullis in locis vocibus *saepe, crebro* amplificantur, ut A. XII 3 *ad eum per speciem necessitudinis crebro ventitando pe licit patruum*[2]) — XIV 52: *obiciebant etiam eloquentiae laudem uni sibi adsciscere et carmina crebrius factitare.* — XV 52: *cuius amoenitate captus Caesar crebro ventitabat.* — Abundant his in locis *crebro* et *crebrius,* si verba illa (ventitare, factitare) nihil significant nisi: saepius venire, crebrius facere.[3]) Sed ut in universum his verbis non semper inest aut sola inesse debet haec notio iterandi (satis sit monere de verbo ostentandi A. III 9: *crebro se militibus ostentavisset,* neque hinc

---

[1]) cf. Nipperdei notam ad h. l.

[2]) Prioribus enim in libris talia mihi non occurrerunt.

[3]) Eodem nomine abundat *plerumque* appositum verbo *solere,* quod extat Ag. 22: *soliti plerumque damna aestatis hibernis eventibus pensare,* quodque haud immutata luxurie recurrit apud Caes. b. c. III 32: *quod in bello plerumque accidere consuevit.* cf. Lucr. IV 604. II 954/55.

alienum est, quod in oratione Claudii, quae in tabula aenea servatur, p. 314, 22 ed. Nippd. legimus: (Servius Tullius) *montem Caelium occupavit et a duce suo Caelio ita appellitavit*), ita Tacitus vereor ne identidem talibus verbis in re semel gesta usus sit. Quid enim? A. XIV 5 in verbis: *Acerronia super pedes cubitantis reclinis* nonne prava evaderet sententia, si cubitare intellegeremus: saepe cubare? Porro A. XII 47: *in lucum . . trahit, provisum illic sacrificii paratum dictitans,* utrum necessario cogitandum est, saepius eum hoc dixisse an semel eum monuisse fingere debemus? Denique A. IV 4: *quanto sit angustius imperitatum*, XII 65: *si Nero imperitaret,* qua ratione huic verbo vindicari possit notio iterativa mihi quidem non liquet. Contra negare non ausim, extare locos, ubi suam habeant vim verba frequentativa, ut A. XIV 14: *concertare equis regium et antiquis ducibus factitatum,* XIV 48: *probrosa adversus principem carmina factitavit*, XVI 28: *detestanda carmina factitantem,* H. II 10: *qui temporibus Neronis delationem, factitaverat*, Ag. 43: *et ventitavere ad domum*, A. XVI 14: *ventitare ad eum nuntios . . non frustra ratus.* — Possum persequi etiam plura exempla, sed satis mihi videor ostendisse Tacitum verbis uti frequentativis et ubi rem saepius gestam et ubi semel gestam memorat. — Hinc ut redeamus ad exempla supra laudata, cum modo viderimus, scriptorem nude positis verbis ventitandi et factitandi vim iterativam tribuere, concedendum est, ibi quoque solis verbis eum acquiescere potuisse neque vocem *crebro* addere debuisse. Profecto inter brevis vel pressae orationis exempla talia parum apte referre poterimus.

Neque iure ibi locum habebunt hi loci: Ag. 3: *multi fortuitis casibus interciderunt* — Ag. 7: *classis . . dum Intemelios hostiliter populatur.* Quid enim? nonne in ipsa voce *casus* latet, fortuito id accidisse, nonne abundat *hostiliter* additum verbo *populatur*, quasi quis etiam amice agros popularetur? Atque eandem ubertatem perspicere mihi videor Ag. 28 in verbis: *per commercia venumdatos* et ibid. 39: *emptis per commercia*; superfluum enim

ibi est *per commercia*, quia per se patet, si quid aut venumdetur aut ematur, id fieri per commercium; quodsi luxuriem vitare voluisset scriptor, verbum paullo amplioris significationis ponere debuit, sicut G. 24 scripsit: *servos conditionis huius per commercia tradunt.* — Neque praetermittam, quae proxime accedunt ad exempla modo laudata Ag. 17: *Silurum gentem armis subegit,* — 28: *adactis per vim gubernatoribus,* nam ipsum adigendi verbum vim adhibitam esse significat, neque video, qua alia ratione nisi bello et armis hostis subigi possit. Quid vero faciemus dial. 16, 30: *spatium temporis ad naturam saeculorum ac respectum immensi temporis referre,* quae ubertas Spengelio adeo molesta visa est, ut *respectu* scriberet, nullo scriptoris commodo, cuius orationem hac coniectura horridiorem reddidit.[1])

Quidve iudicabimus Ag. 38: *et nox quidem gaudio praedaque laeta victoribus,* num Peerlkampum secuti glossam in his indagabimus? Hic enim, postquam dubitationem movit, intellegendumne esset: nox gaudio fuit et praeda laeta, an gaudium praedaque in causis laetitiae habenda essent, (vano labore, cum probanda sit sola interpretatio posterior), sublatis vocibus *gaudio praedaque* multo meliorem censet prodire sententiam: et nox quidem laeta victoribus. Ansam autem huius coniecturae praebet viro docto, quod militibus praedandi tempus defuisse, quidquam raptu dignum apud pauperes Chattos extitisse, praedam factam militi servare sine ducis consensu licuisse negat. Quae etiamsi recte moneantur, num satis gravia sunt ad utrumque verbum expungendum? At fuit militibus tempus praedae faciendae (hominum certe, cf. 37 med.: *capere atque eosdem oblatis aliis trucidare*), fuit materia praedandi (cf. 29 extr.: *sua quisque decora gestantes* ad proelium venerant); denique quidni gaudeant milites praeda, etsi eam sine ducis con-

---

[1]) cf. quae Vahlenus eleganter docteque de hoc loco disseruit l. l. p. 665.

sensu servare non licebat? Licuit eis praeda laetari, ut sexcentis aliis locis laetati esse narrantur, si non totam, at partem praedae sibi tributum iri sperantes Itaque ipse nihil hinc removendum esse statuo.[1])

Iam videamus, num provectiore aetate similia Tacitus admiserit: H. III 69: *suos liberos Sabinus . . in Capitolium accivit*, ubi Lipsio, verba *in Capitolium*, ut quae distincte monerent, quod sine monitore ullo ex praecedentibus nimis clarum esset, a glossographo profecta esse putanti non immerito contradicit Ernesti, verum esse, per se illud intellegi posse, sed multa in Tacito delenda esse, si quis quidquid abundat tollere suscipiat. Atque delendum sane esset eo nomine *invicem* H. III 70: *antequam invicem hostilia coeptarent*, delendum *inter nos* H. V 9: *civili inter nos bello*, delendum *militari* III 77: *fuere qui uxorem L. Vitellii . . incesserent, tamquam gladio militari cincta . . superbe egisset*, delendum denique *infestae* III 82: *concurrere et in campo Martio infestae acies.* Ac vereor ut critici severius agentis vim sustineant verba: *inerti animo* H. II 94: *super insitam inerti animo ignaviam*, quae insuper Taciti usui alioquin in voce *insitus* conspicuo repugnare Heraeus h. l. monet, collatis H. II 101, III 32, 45, IV 19, A. I 59, XIII 57, XIV 62, XIII 18.

Progrediamur ad Annalium libros, ubi invenimus: A. III 61: *Latonam partu gravidam . . edidisse ea numina* — III 36: *neque a dis nisi iustas supplicum preces audiri* — VI 37: *enuntiavere accolae Euphratem nulla imbrium vi sponte et immensum attolli:* non minorem in his dispicio ubertatem; nam superfluum est, *partu* addere voci *gravidus*, nihil

---

[1]) Neque, ut hoc in transcursu moneam, dubito, quin integra sint verba Ag. 37: *caesa sunt hostium ad decem milia, nostrorum trecenti sexaginta cecidere*, quorum alterum Peerlkampus tolli vult. Nam etsi concedendum est, posterius verbum abesse posse, tamen inde non efficitur, id abesse debere. Cf. Ag. 32: *deserent illos Germani, tamquam nuper Usipii reliquerunt;* Ag. 26: *his (certantibus) ut tulisse opem, illis ne eguisse auxilio viderentur.*

detrahitur sententiae, si extinguis *supplices*, per se patet, flumen nulla imbrium vi auctum sponte crevisse. Neque iam exhaustus est numerus exemplorum: XIII 35: *adnotatus miles, qui fascem lignorum gestabat, ita praeriguisse manus, ut oneri adhaerentes truncis bracchiis deciderent.* — XIII 56: *errore longo hospites, egeni, hostes, in alieno quod iuventutis erat caeduntur*, ubi *in alieno* licet additum sit (sic Nipperdeius vult), quo clarius illorum miseria per omnes partes in conspectu collocaretur, tamen ex proxime antecedentibus ultro mente cogitatur. XIV 23: *ora et exitus specuum sarmentis virgultisque completos igni exurit* (similiter Caes. b. g. I 4, 1: *damnatum poenam sequi oportebat, ut igni cremaretur*, Lucr. II 673: *tum porro quaecumque igni flammata cremantur.* Non abundat *ignibus* Ovid. Met. IV 194: *nempe tuis omnes qui terras ignibus uris ureris igne novo*). — XIV 8: *ceteris terrore irrumpentium exterritis.*[1]) — XV 4: *Partho ad exsequendas obsidiones nulla comminus audacia;* hic nisi mira quadam brevitate scriptorem duas sententias (quae essent: Partho nulla comminus audacia, qua opus est ad exsequendas obsidiones) in unam coartasse putamus, non video qua ratione *comminus* defendentes Tacitum luxurie liberare possimus. Denique XV 34: *egresso qui adfuerat populo vacuum et sine ullius noxa theatrum collapsum est* et XV 38: *nec quisquam defendere audebat, crebris multorum minis restinguere prohibentium*: augetur sane sententiae perspicuitas vocibus *vacuum* et *multorum*, sed nos salva sententia eis carere non posse nemo fere evincet.

Quodsi his in locis abundantia in eo versatur, quod vocis alicuius notio apposita altera praeter necessitatem illustratur, in eis, quos iam subiungo, genetivus ex nominibus eadem luxurie suspensus est. Cuius generis ex dialogo promam 25, 34: *iudicium animi sui detexisse* et 27, 15: *iudicium animi citra affectus proferre*, quorum

---

[1]) Cum his duobus exemplis iuvat conferre Quintiliani illud in inst. or. VIII 3, 53—55.

in utroque ,iudicium animi' pro simplici ,iudicium' dictum est; neque necessarium erat, addito genetivo naturam huius iudicii certius definire, quoniam hic non opponitur animi iudicio aliud quoddam velut aurium vel oculorum vel simile. Itemque genetivum abundare existimo his in locis: H. II 99: *Valentem e gravi corporis morbo tum primum assurgentem infirmitas tardabat* — III 38: *gravi corporis morbo aeger Vitellius . . turrim . . conlucere animadvertit.*[1]) — A. IV 53: *Agrippina pervicax irae et morbo corporis implicata.* Quorsum enim dixit *morbus corporis,* cum sententiarum nexus minime permittat de alio, animi scilicet, morbo cogitare? A. IV 6: *corporum verbera, ademptiones bonorum aberant* — III 35: *excusante se Lepido, cum valetudinem corporis, aetatem liberum . . obtenderet* — XV 59: *testamentum . . amori uxoris dedit, quam degenerem et sola corporis forma commendatam amici matrimonio abstulerat* (nam ne hic quidem corporis vocem requiri ostendunt loci simillimi, ubi solum *forma* de corporis pulchritudine positum est: A. XIII 45: *mater Poppaeae Sabinae gloriam pariter et formam dederat.* V 1: *Caesar cupidine formae aufert* — sc. Liviam — *marito.* In his sane (modo extremum exceperis locum,) haud effugiet te, consilio a scriptore genetivum additum esse, ut servata orationis aequabilitate in utroque membro extaret genetivus ex nomine substantivo pendens (quo studio ductus idem scripsit H. II 72: *errore veri seu turbarum studio*); nihilo tamen secius abundantiam quin agnoscas facere non poteris.

Neque facile quemquam fugiet ubertas in eis locis, quos iam subiungam, et ipsos memorabiles genetivo ex nominibus apto, nisi quod in superioribus genetivi, in his nomina, unde pendent genetivi, abundare putanda sunt: dial. 8, 19: *sine substantia facultatum* — A. XI 8: *urbis . . munimentis obiecti amnis muroque . . firmatae.* — H. I 66: *quotiens pecuniae*

[1]) Non inutile erit conferre A. XIV 47: *Nero aeger valetudine* Cic. Cat. I 13: *homines aegri morbo gravi.*

*materia deerat* — A. XVI 18: *in speciem simplicitatis accipiebatur.* Atque extremo quidem in loco satis clare cernitur abundantia, ubi intuiti sumus exempla simillima A. VI 13: *silentium .. in superbiam accipiebatur* — XII 43: *frugum egestas et orta ex eo fames in prodigium accipiebatur.*

Iam superest mihi mentionem facere locorum, in quibus vel Boetticherus luxuriem perspexit: A. XII 17: *misere legatos!, veniam liberis corporibus orantes.* — V. 9: *id aetatis corpora in Gemonias abiecta;* quibus ipse adiungo: XI 29: *paelices, quarum is corpori maxime insueverat.* — II 46: *Inguiomerum tenens illo in corpore decus omne Cheruscorum .. testabatur.* (cf. Sall. Cat. 24: *stuprum corporis* Curt. 5, 6: *captivorum corpora.* Verg. aen. II 565: *corpora saltu — ad terram misere.*)

Probare autem non possum, quod idem vir doctus dial 5, 14: *sed ipsum s o l u m apud vos coarguam,* itemque G. 38: *ac saepe in ipso s o l o vertice religant* abundantiam dispicere sibi videtur. Nam in dialogi quidem loco s o l u m, cum diserte oppositum sit antecedenti: *s o c i e t a t i plurium,* ut in quo cardo totius sententiae versetur, abesse non potest. In eis autem, quae e Germania attuli verbis, an corruptela lateat vehementer dubito. Narrat enim ibi Tacitus, apud Suebos usque ad canitiem, apud alias Germanorum gentes raro neque nisi intra iuventae spatium horrentem capillum retorquere moris esse. Iam sequuntur verba: *ac saepe in ipso solo vertice religatur,* in quibus, ut *solo* defenderet, Kritzius (ed. II p. 99) hunc nexum sententiarum statuit: senes capillis in vertice defecti tamen quod capillorum ab utraque parte et in occipitio superest, in solo, i. e. in nudo vertice religant. Quam interpretationem probare dubito; neque enim senum illud proprium fuisse Tacitus tradit, sed Sueborum omnium usque ad senectutem. Hoc si concedendum est, simul cadit ea, quam vir ille doctus vocabulo ‚solus' subesse vult vis, ut idem valeat atque ‚nudus'. Alia igitur ratione verba aut

explicanda aut emendanda sunt. Atque emendandi viam ingressus Lachmannus (quem sequitur Muellenhoffius) pro *vertice* scripsit *vertici* — quod ut intellegerem frustra laboravi. Neque omnino mihi contigit, ut indagarem, quid illud *solo* sibi vellet; neque enim cogitare licet, Sueborum alios pluribus capitis locis, alios in vertice tantum crinem nodo substrinxisse. Me quidem iudice *solo* non modo superfluum, sed plane perversum est, neque unquam Tacitus, ubi uberiorem finxit orationem, sententiam aut turbavit aut obscuravit. Quam ob rem hanc vocem, quae insuper abest in nonnullis nec eis deterioribus libris mss., a Taciti manu non esse profectam existimaverim.

Quae cum peregerimus, paullatim progredientes in eodem tramite ducimur ad eos locos, ubi nomini alicui notio generis, cuius illud est, adiungitur aut nulla coniunctione aut ita, ut ex generis notione nomen pendeat. Ac priore quidem de parte, qua contineri volo morem illum pervulgatum, quo nominibus fluminum, marium, montium appellativa adduntur, satis habeo monere, non constare sibi Tacitum in addendis aut omittendis appellativis. Legimus enim: H. IV 12, A. I 9: *mare Oceanus*, A. XV 34: *mare Hadria*, XIV 22, XV 47: *sidus cometes*, contra Ag. 12. 35. A. II 23, XV 37 *Oceanus* non addito *mare*.

Altera autem in parte hi loci satis gravi abundantia memorabiles inspiciendi sunt: G. 17: *struem rogi nec vestibus nec odoribus cumulant.* — A. I 17: *ubi per nomen agrorum uligines paludum et inculta montium accipiant.* — II 78: *vitare litorum oram iubet* (cf. Verg. georg. II 44: *primi lege litoris oram*) — A. VI 45: *falsa simulationum perdidicerat,* — XV 37: (Epicharis) *vinclo fasciae indidit cervicem* — XVI 13: *vastata Campania turbine ventorum.* Superflua autem arbitror in his non genetivos, sed voces, unde pendent: an quidquam valent ad illustrandas notiones, quae ab eis aptae fiunt? Quantum enim immutatur rogi significatio, ubi ex voce strues suspenditur, quomodo differt vinculum fasciae a sola fascia? — At genetivi adiunguntur, quo

certius determinetur notio verborum, unde pendent, distinctius est: ‚turbo ventorum' quam nude positus ‚turbo'. Id quamvis recte mihi hoc loco obiciatur, in reliquis tales interpretationis artes frustra adhiberi cum persuasum habeam, nondum adducor ut credam, necessario requiri istas voces. Quodsi quis ex me quaerit, quid movisse statuam scriptorem, ut sic abundanter loqueretur, cum universe consuetudinem linguae latinae tum quibusdam in locis concinnitatis rationem nomino (cf. A. I 17)[1]).

Singulare autem atque etiam fortius superioribus extat luxuriei exemplum A. III 63: *cultus numinum utrisque Dianam aut Apollinem venerandi,* cuius simile nobis praebet Cic. Brut. 50, 189: *dare alicui optionem eligendi patroni.* cf. eiusd. ad Att. IV 18,3. de fin. I 10, 33. Corn. Nep. Paus. 3, 3).

Priusquam autem hunc campum relinquamus, paucis liceat disserere de una voce notionis paullo amplioris, ex qua genetivus speciem quandam illius generis significans aeque atque in superioribus locis suspenditur. Agitur autem de voce *gestamen*, in cuius usu certam quandam legem a Tacito observatam esse hodie quoque erui posse confido. Occurrit enim cum genetivo A. II 2: *gestamine lecticae incedebat,* — XIV 4: *gestamine sellae Baias pervectam.* — XV 57: *gestamine sellae cum retraheretur;* contra H. III 67: *lecticula ferebatur* — III 84: *sellula defertur* — A. II 19: *lectica delatus* absente hac generis notione vocabula *sella, lectica* extant sola. Quod num casu aut fortuito accidisse statuemus? Imo verba illis vocibus apposita respicientes omitti videmus *gestamen* ibi, ubi gestandi vel ferendi notio in verbo distincte latet, ut facile sellam intellegas gestatoriam, poni ibi, ubi in verbo sola inest promovendi notio,

---

[1]) Cave abundantiam agnoscas in verbis H. II 44: *clades adversae pugnae,* quae ut primo obtutu ab exemplis supra laudatis haud ita abhorrere videntur, ita cognita vi vocis *cladis* (cf. H. III 77: *clades expugnatae Tarracinae*), qua idem sonat atque calamitas, non iam habent, in quo offendamus. —

ut dubitatio relinquatur, quale sit gestamen. Ac restat haec dubitatio summo interpretum dolore A. XI 33: *in eodem gestamine sedem poscit sumitque,* ubi discrepare videmus criticos, lectica an carpentum intellegendum sit (cf. Bekkeri ann. ad h. l. et Nipperdei edit., qui collato Sen. ep. XX 5, 16: *quaero circa horam octavam noctis, quid sibi ille sonus rotarum velit: gestari dicitur* — carpentum desiderari censet). Consulto igitur scriptorem hanc vocem adhibuisse, consulto omisisse apparet; quare in his abundantiam perspicere non licet.

Atque haec quidem de substantivis ex substantivis suspensis, iam aggrediamur ad verba, quorum alterum ex altero aptum est; sed ne longam exspectes exemplorum seriem, praemoneo, perpauca extare eaque excepto uno in dialogo, ubi invenimus 15, 16: *accidisse ut longius absit* pro simplici ,abesse' (cf. Madvigii gramm. lat. § 481 b. Cic. p. Cluent. 40, ad fam. III 8: *faciendum mihi putavi, ut tuis literis brevi responderem,* Cat. mai. XII 42: *invitus feci, ut L. Flaminium e senatu eicerem*), — dial 3, 15: *editionem maturare festino,* (quam verborum cumulationem ab Useneri et Andreseni conaminibus defendit V. D. Vahlenus l. l. p. 664). — 11, 10: *ingredi famam auspicatus sum* — 24, 17: *cum centum et viginti annos . . effici ratio temporum collegerit* — A. III 3: *magnitudinem mali perferre visu non toleravit* (cf. Plin. 26, 3, 1: *qui perpeti medicinam toleraverant*).

Sunt sane pauca, sed ponderare, quam numerare si malumus exempla, abundantiae gravitate multo pluribus praestant.

Ad finem autem properantes paullisper tardamur nonnullis particulis abundanter positis; quo in genere habeo A. I 5: *simul excessisse Augustum et rerum potiri Neronem fama eadem tulit* — A. I 46: *incusavere Tiberium, quod dum patres et plebem ludificetur, dissideat interim miles.* Quid enim opus est voce *simul* sequente pronomine *eadem,* quid voce *interim* praecedente *dum*? Neque desideratur *ideo* A. II 57: *cuncta socialia prospere composita non ideo laetum*

*Germanicum habebant ob superbiam Pisonis,* libenterque caremus altera utra voce, ubi ‚nempe' et ‚enim' coniunguntur: dial 35, 14: *nempe enim duo genera materiarum apud rhetoras tractantur* (quas voces saepissime componi Boetticherus l. l. p. LXLIII sat multis exemplis ostendit). Postremo quamvis invitus cum Nipperdeio certare cogor, qui A. XI 24: *ut non modo singuli viritim, sed terrae, gentes in nomen nostrum coalescerent* vocem *viritim* non superfluam esse censet; neque enim idem sonare atque ‚singuli', sed eodem sensu intellegendam esse atque ‚privatim'. Quae sit licet vera vocis vis (cf. A. III 43: *ut nondum aperta consensione ita viritim promptis studiis.* G 15: *mos est civitatibus, ultro ac viritim conferre principibus vel armentorum vel frugum*), tamen ne sic quidem luxuries tolli mihi videtur, quia sententiae cardo in eo versatur, ut sibi respondeant: ‚singuli' et ‚terrae gentesque'.

Haec fere sunt, quae de abundanti dicendi genere Tacitino monenda habui. Conquisivi autem haec exempla, non quo brevitati illi singulari nonnihil detrahere cuperem, sed ut ostenderem, ne Tacitum quidem, cum multa suum ingenium secutus novis et insolitis modis componeret, sic recessisse a priorum aut aequalium usu, ut brevitatem cum perspicuitati tum elegantiae orationis postponere dubitaret, neque licere nobis, sicubi voces minus necessarias aut superfluas apud eum deprehendimus, has ut brevitati orationis repugnantes de glossa suspectas habere. Hinc si quem fructum capere poterit ars critica, hoc opusculum meum aut probatum erit aut excusatum.

# Vita.

Ioannes Andreas Paulus Gericke natus sum Berolini a. d. XIV Cal. Apr. a. 1856; fidem profiteor evangelicam. Patre vixdum cognito orbatus a matre, quam adhuc superstitem magnopere gaudeo, summa diligentia educatus primisque literarum elementis imbutus sum. Ex cuius disciplina dimissus per duos paene annos ludum frequentavi literarium, unde ineunte anno 1866 in numero discipulorum gymnasii Ioachimici receptus per novem annos (primum ‚hospes', post ab anno 1872 ‚alumnus') in schola illa celeberrima praestantissimorum praeceptorum doctrina egregia usus sum, quorum memoriam semper pio colam gratoque animo. Testimonium maturitatis adeptus a. 1875 ineunte Universitatem adii Fridericam Guilelmam Berolinensem, cuius inter cives nomen apud amplissimum philosophorum ordinem professus per noviens sex menses in studia philologica ac philosophica incubui meque applicavi ad Curtium, Dillmannum, Henningium, Huebnerum, Kirchhoffium, Muellenhoffium, Nitzschium, Paulsenum, Prutzium, Schraderum, Treitschkium, Vahlenum, Wattenbachium, Wilamowitzium, Zellerum. Summum autem fructum inde percepi, quod Kirchhoffius ad exercitationes in societate philologica institutas aditum mihi benigne concessit, et quod inter sodales ordinarios seminarii regii philologici recepto per quinquiens sex menses spectatissima Kirchhoffii et Vahleni institutione uti mihi licuit. Omnibus his viris optime de me meritis, maximeque Kirchhoffio et Vahleno, data occasione gratias ago semperque habebo quam plurimas.

## Sententiae controversae.

1. Lys. or. IV § 7 ante verba: νῦν δὲ ὁμολογούμεθα . . defectum statuendum esse censeo.

2. Lys. or. IV non probo Scheibii opinionem, qua inter § 11 et 12 nonnihil deesse existimat.

3. Ovid. epist. VI 159 et 160 aut ante v. 155 collocandos aut plane expungendos esse indico.

4. Tac. Ann. XIV 55/56 non recte puto Nipperdeium verba ‚nisi forte aut te Vitellio ter consuli aut me Claudio postponis, et quantum Volusio longa parsimonia quaesivit, tantum in te mea liberalitas explere non potest' in fine cap. 55 collocasse.

Typis expressit Julius Fenske,
Berolini, Beuthstr. 18—21.